



SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

DE FIDE
FLAVII VEGETII RENATI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

A. D. XV KAL. FEBR. A. MDCCCLXXIX HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

IOANNES GVILELMVS FOERSTER

RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

ANTONIVS ELTER STVD. PHIL.

IOSEPHVS KLINKENBERG STVD. PHIL.


CAROLVS HOFIVS CAND. PHIL.

BONNAE

TYPIS FRIDERICI KRVEGER.

1879.




HARVARD COLLEGE
JUN 25 1889
LIBRARY

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

S.



Ut Vegetii fidem examinarem adductus sum hac quaestione ab amplissimo philosophorum ordine Bonnensi anno 1876 proposita 'quaeratur rei militaris apud Romanos a Septimio Severo ad Stilichonem qui status fuerit et quae mutatio iudiceturque Vegetii fides.' Cum quae ea de re composueram ordo benigne accepta praemio dignatus sit, commentationis partem paucis auctam hic propono.

Quae in aliis plerumque scriptoribus cognitu utilia et necessaria sunt, ut homines qui fuerint sciamus, quo ingenio praediti, qua doctrina imbuti, qua ratione opera confecerint, alia, ea disquirere in Vegetio possum quidem supersedere, quia ad rerum iudicandam fidem non interest ea sciri. Sed tamen de Vegetii ingenio et scribendi ratione quid mihi existumandum videatur brevi liceat praemonere. Fuisse mihi videtur non mediocris fatuitatis, qui quae scriberet ipse parum intellegeret nec par esset digerendis rebus in eum quem sibi proposuerat ordinem. Id cum postea identidem cognoscemus, tum hic primi libri duo doceant loci. Cap. 4 praematura aetate legendos esse tirones argumentis probat stultis et perversis. Cap. 21—25 de castrorum munitione acturus ex primi libri argumento ita debebat rem instituere, ut quid militi gregario — id enim tiro discat necesse est — faciendum esset adumbraret. Cuius rei non ignarus in initio 'castrorum munitionem' inquit 'debet tiro condiscere'. Quaecumque vero adfert ad imperatorem duces metatores potius quam ad tironem pertinent. Tamen rei se satisfecisse ratus in fine 'ad hunc ergo usum' inquit 'instituendus est tiro, ut cum necessitas postulaverit sine perturbatione et celeriter et caute castra possit munire'. Nimirum aucto-

rum 'quae dispersa erant, in ordinem epitomata' (p. 12, 19)[1]) conscripsit ita ut singulis partibus praeponeret quasi praefationes (p. 24, 1—14. cf. p. 21, 1—22, 8/14), insereret summaria, quae fortasse ipse sibi fecerat, non mutata servatoque filo (p. 24, 15—26, 8. cf. p. 22, 8/14—23, 20), imponeretque conclusionem qua revocaret rem ad argumentum (p. 26, 8—10. cf. p. 23, 20—23). Praeterea neglegentiae et incuriae fuit tantae vix ut credi possit; velut c. 23 'castrorum' inquit 'diversa triplexque munitio est'. Secuntur duae munitionis rationes: priore utuntur, 'si nimia necessitas non premit', altera 'ubi vis acrior inminet hostium'. Item lib. III c. 8 'tribus modis' inquit 'definiunt castra muniri posse', iterum duo tantum munitionis modi adumbrantur ('primum in unius noctis transitum . . .' 'Stativa autem castra aestate vel hieme . . . .').

Laborem igitur quem professus est (lib. I praef.) diligentem ac fidelem destitutumque ingenii acumine praestitisse videtur in transscribendis auctoribus. Huius tamen fidei usus nobis est nullus, quoniam unde res sumpserit nescimus; nam ipsos quos adfert auctores non est credibile ei praesto fuisse[2]). Fortasse ne poterat quidem longe aliter saniusque quam tradidit res tradere. Sed haec indagare eorum interest quibus homo cordi est, nostra qui in rerum fidem inquiramus non refert quis antiquam doctrinam in unum congesserit. Itaque brevitatis causa sicubi necesse erit licebit increpare Vegetium.

Omnium gravissima sunt quae de legionis ordinatione

---

[1]) Paginas et versus secundum Caroli Lang editionem (Lipsiae 1869) indico.

[2]) Egit ea de re H. Brancke priore parte 'quaestionum Vegetianarum' (Helmstadii 1875), sed nimis ingenium ad Vegetium adcommodasse operamque perdidisse iudicandus est. Unum sat erit adtulisse argumentum quo Vegetium Frontini libros de re militari in usum suum non convertisse probat: „'Frontini strategematicon libros Vegetius legere debebat' (p. 4). Iam vero sicubi 'Frontiana exempla adferre voluit' (p. 5, 16) non adtulit. Ergo Frontini nec strategematicon nec de re militari libri Vegetio fuere noti."

exponuntur in libro altero, utpote quibus adducti sint quicumque de re militari Romanorum egere, ut novam et inauditam legionis ordinationem uno aliquo tempore ante Constantinum putarent invaluisse. Altero igitur in libro cuius Vegetius sit auctoritatis disquiram. Quam quaestionem ita instituam ut Vegetii secutus ordinem res primum ipsas sicubi fieri potest aestumem, tum conferam cum eis quae alibi traduntur.

In praefatione, cum imperator 'ex libris antiqua desideraret', mandatis eius se oboediturum esse professus est. Bene igitur primis primi capitis verbis Vergilium profert testem[1]), item bene unde equitum alae[2]) nomen traxerint adponit. Antiqua enim ea est doctrina, quae cum Cincii eiusdem rei explanatione[3]) ad unum eundemque auctorem non referri nequeat[4]). Miro autem modo praesenti tempore utitur ('equitum alae dicuntur... quod protegunt'), cum ipse testetur aliud vocabulum tunc fuisse usu receptum. Quam ob causam, cum primo obtutu ex sequentibus ('est et aliud genus equitum, qui legionarii vocantur...') conligamus etiam tum fuisse equites legionarios, mihi audacior visa est ea coniectura. Quin immo haec ex eodem fonte fluxisse puto ex quo alarum explicationem, cumque haec iam apud Cincium legatur, equites legionarios intellego veteres illos equites Romanos, qui plerumque treceni legionibus addebantur, quamquam ut liberae reipublicae sic imperatorum temporibus erat illa differentia[5]).

---

[1]) Gemoll (Hermae vol. VI p. 118) deleri iubet verba 'sicut ... viris. Haec'; non dubitarem quin recte, si sanior esset scriptor.

[2]) 'Alae' scribendum et codicibus adstipulantibus et Cincio. Neque enim vexillationes opponi possunt alaribus, possunt alis.

[3]) Gell. XVI, 4, 6.

[4]) cf. Masquelez étude sur la castramétation des Romains (Paris 1864) p. 83. 'Végèce qui annonce au debut de son ouvrage qu'il a beaucoup emprunté à Cincius Alimentus, dit la même chose en d'autres termes'. In Vegetii editionibus Cincii nomen frustra quaeres.

[5]) cf. Marquardt röm. Staatsverw. II p. 387 not. 2. Liv. XXXV, 5. XL, 40. Tac. ann III, 39. IV, 73. XII, 27. XIII, 35.

Quae in capite extremo de discrime quod inter legiones et auxilia intercedat disserit auctor (p. 34, 2—9) nescio quomodo explicatu sunt difficillima. Cum opponantur inter se legiones et auxilia, sequitur ut inter haec numerentur omnes copiae praeter legiones, qui dicendi usus ab imperatorum aetate invaluit [1]). Sed tum auxilia in ipsis Romanorum provinciis legebantur maximam partem, cum Vegetius ea velit adpellari auxilia, quae a sociis vel foederatis gentibus missa sint; et quo recentiora tempora eum respexisse statuimus, eo minus recte illa dicuntur. Vegetii temporibus ea non convenire inde elucet, quod tunc 'plerique Romani in auxiliis festinabant militiae sacramenta percipere' (p. 36,6). Eius potius temporis videtur mihi adparere vestigium, ad quod supra equites legionarios et alarios rettuli, quamquam etiam tum paullo alia erat res. Cum enim ante bellum Hannibalicum copiarum Romanarum duo fuerint genera, legiones et socii, post id bellum tria fuere, legiones socii auxilia, inter quae auxilia accurate secernuntur et separantur a sociis [2]). Neque tunc praecipue in legionibus praepollebat Romana virtus, quoniam nisi in legionibus non militabant Romani [3]). Sed leviora haec puto, cum certo Vegetius quae transscribebat non intellexerit. Ea si detraxeris, reliqua apte referuntur ad alterum a. C. n. saeculum, ad Catonis tempora, et fortasse nostro in capite ipsum habemus Catonem.

Extremum capitis enuntiatum iam Schwebelio erat offensioni, quia ex rerum Romanarum scriptoribus satis esset exploratum sociorum peditum numerum parem, interdum superiorem fuisse Romanis, equitum vero numerum duplo vel etiam triplo maiorem. Imperatorum quoque aetate auxilia numero fere paria, certe non multo pauciora fuisse videntur legionibus [4]). 'Nisi forte Vegetii aetate aliter

---

[1]) cf. Marquardt p. 448. Vell. II, 112. Suet. Oct. 49.
[2]) cf. Marquardt p. 388. Varr. d. l. L. V, 90. Paul. Festi p. 17.
[3]) cf. Mommsen röm. Staatsr. II², 1 p. 405 not. 2.
[4]) cf. Marquardt p. 448. 582 sq.

obtinuit' caute adiecit Schwebelius. Ei sane tempori videntur illa convenire; cum enim in 'notitia dignitatum' legiones circiter centum septuaginta quinque recenseantur [1], plura tum auxilia fuisse non puto.

Falso, id quod iam Schwebelius notavit, levem armaturam inmiscet legioni Vegetius (p. 35,9). Vera tamen esse suspicor quae de suo tempore memoriae mandavit (cap. 3), neque abhorrent ab eius aetatis indole. Una in re, quod plura in legionibus quam in auxiliis dicit esse munera (p. 36, 5) fidem ei addit Ammianus XVIII, 2, 6. XXIV, 4, 21 (cf. Gothofred. ad C. Th. VII, 13, 1).

Cap. 4 adcingitur Vegetius ad describendam ordinationem legionis antiquae finem facturus cap. 18. Cum praefationis et conclusionis argumenta in unum congruant, quippe quibus eodem modo quod consilium secutus sit scriptor declaret, adparet eum et adgredientem opus et opere perfecto descriptionem illam voluisse simplicem esse atque unam, exhibitam eum ad finem, ut sui temporis legiones possent revocari ad statum anticum. Quod consilium perversum esse nemo est quin videat.

Quinam igitur est is status anticus? In praefatione (c. 4) cum mentio inferatur de consulibus exercitus ducibus, de binis legionibus, de solis sociorum auxiliis, ad tempora legionis manipulatim ordinatae relegamur; quin etiam si accuratae studemus interpretationi, ad tempora bello Hannibalico anteriora res illas coniunctas non possumus non referre [2]. Eius igitur legionis ordinationem velit nolit dicit Vegetius se esse expositurum.

Cap. 5 ad rem se transire significat 'igitur' particula adhibita. Quae vero tradit, ea nisi exercitus perpetui temporibus non convenire non opus erit demonstrare, etiamsi non adiectum esset 'iussu auspiciisque invictissimi principis'. Immo num tunc fuerint in usu merito dubitaveris.

---

[1]) cf. Marquardt p. 588.

[2]) cf. Marquardt p. 388. 390.

Nam cum dicat 'legio formatur', intellegamus oportet integram legionem constitui ex tironibus. Quod adeo falsum est, ut vix possit refelli, et ipse secum pugnat Vegetius; modo enim scripsit singulis paene mensibus in recedentium locum iuniorum turbam succedere necesse esse. Et cur post quattuor demum mensium exercitia cotidiana legio formatur? Causa erat nulla cur tunc demum legionis nomen tironum numero imponeretur, neque est impositum. Certe scriptores statim legionem eam adpellant[1]). Et quam raro novae legiones scribebantur!

Digna porro et scriptore et loco quae secuntur. Fiunt enim verba de signatione tironum[2]), quamquam consuetudo ea minime antiqua erat. Idem valet in reliqua, nisi forte iam ante Constantini aetatem putamus milites per deum et Christum et sanctum spiritum iurasse[3]). Et quid tandem cum legionis ordinatione habet sacramentum sive recens sive anticum? praesertim cum priusquam in numeros distribuerentur tirones sacramento adigerentur. Primo in libro, cuius ad argumentum pertinet sacramentum, littera nulla de eo invenitur. Formulae vero ex ipsa adcrescit fides. Dicit enim Vegetius milites iurare 'nunquam se deserturos

---

[1]) cf. Capit. Maxim. 5, 5. Suet. Ner. 19.

[2]) Recte Vegetius dicit punctis signorum inscribi milites. cf. Aët. VIII, 12 (ed. Aldin. fol. 152r. v. 45 sqq.); et miror opinionem eorum, qui velut Lange (hist. mut. rei mil. Rom. p. 98), Gussanuil in Mignei patrol. Lat. LXXVII col. 663 militibus ut calumniatoribus et fugitivis notas inustas esse putant. Nihil eiusmodi quod sciam traditum est.

[3]) 'Nam' (p. 37, 14) deest in codice Palatino, vix recte. Vegetius enim artiorem adamat enuntiatorum contextionem, usus praecipue coniunctionibus. 'Nam' vero, si recte legitur in reliquis codicibus, multo intricatiorem reddit sensum. Referendum est enim uno aliquo modo ad 'legio formatur' illud, ut dicatur post quattuor mensium exercitia, cum legio formetur, milites punctis signorum inscribi et matriculis inseri et sacramento adigi. Sed aliter se rem habere ipse Vegetius significat (I, 8), ne adferam Plinii testimonium (Plin. et Trai. ep. 29. 30). cf. Ruinart act. mart. (Veronae 1731) p. 263.

militiam'[1]). Non adiecisset 'militiam', nisi fuisset in formula, cum simplex deserendi verbum sufficeret[2]). Fideliter igitur transscripsit haec. Sed quaeritur num liceat extremum capitis enuntiatum coniungere cum superioribus ita ut etiam postquam per deum et Christum et sanctum spiritum iuraverint milites putandum sit in illa sacramenti verba adactos esse; qua de re valde dubito. Mihi enim primum infligit scrupulum, quod duo enuntiata quibus solis doceamur rem eisdem incipiunt verbis 'iurant autem', qua ratione soleat Vegetius a praefatiunculis suis transire ad ipsas tractandas res, et quod interpositum est comma quo exspatietur auctor. Eiusmodi rebus admonemur ut cauti simus. Verum missa hac opinione gravem habet offensionem quod dicuntur milites iurare se mortem non recusaturos pro Romana republica. Alienum id duco ab imperatoriae aulae ratione atque inclinatione[3]) — neque enim Vegetii 'imperatorem' curo[4]) — praesertim cum constet iurasse milites imperatoris salutem se omnibus potiorem esse habituros[5]). Postposu-

---

[1]) Deletum voluere id vocabulum Stewechius, D. Vossius, Scriverius, Schwebelius. Novissime qua est sagacitate in eandem opinionem incidit Gemoll (l. l. p. 113), cum Lang, qui alibi etiam futiliora adfert, ne verbo quidem virorum doctorum commentum tetigerit. Neglexere illi sacramenti hic referri verba et eiusmodi formulas semper et ubique plenioribus ne dicam plenissimis verbis esse conceptas. Neque abhorret tanto opere quanto visum est viris doctis a sermone Latino, quod deserendi verbo militiae vocabulum adicitur. cf. Front. strat. IV, 1, 20 'qui exercitum deseruerant', C. Th. VII, 18, 12 'desertor castrorum', ibid. VII, 18, 14 'desertores militiae'. Cum hic desertoris nomini substantivo 'militiae' genetivus adpositus sit, multo facilius deserendi verbum eiusmodi additamentum tolerabit.

[2]) cf. Veg. p. 36, 1. 53, 5. 86, 14. Nep. Eum. 5. Sen. dial. IV, 10,4. IX, 3,5. ep. 95,35 Tac. ann. XIII, 35. Front. strat. IV, 1, 17. Quint. IX, 2, 85. Tert. de cor. mil. 11. Amm. XXXI, 7, 4.

[3]) cf. Mommsen röm. Staatsr. II², 2 p. 768. 792. C. I. L. II, 172 (iusiurandum Aritiensium).

[4]) cf. Mommsen l. l. I² p. 121 sq.

[5]) Arrian. Epict. I, 14, 15. 17. cf. Suet. Cal. 15. Dio LIX. 3, 4. 9, 2. Tert. ad nat. II, 9 '(Romani) pro salute principum et domus eorum adversus liberos et coniuges et omne pignus suum de-

issent vero principis salutem reipublicae, si in ea quae Vegetius tradit verba iurassent [1]). Neque fieri poterat ut in bellis civilibus reipublicae haberetur mentio [2]). Pro imperatore potius iurasse milites existumo 'omnes casus quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, se perlaturos' [3]). (Amm. XXI, 5, 10).

Cap. 6 de ipsa legionis ordinatione agitur, cuius summum est, quod legioni sui sunt equites, septingenti viginti sex. Mirum in modum ea res viris doctis fuit errori, cum aetatem eius ordinationis conarentur indagare. Nast et Roesch [4]) Augusti prodi tempora putaverunt. Difficilius definiri aetatem aestimavit Le Beau [5]); 'il n'est pas aisé' inquit 'de fixer cette époque; il paraît même qu'il parle de la legion, telle quelle était divisée de son temps; car dans tout le détail précédent, il s'exprime par le présent; mais ce qu'il y a de certain, c'est que cette division ne s'accorde point avec celle que nous donne Hygin, et qu'elle est par conséquent postérieure au temps d'Hadrien'. Hac

---

ierant'. id. de cor. mil. 11 '(coguntur milites) eierare patrem et matrem et omnem proximum'. Lucani comm. Bern. IV, 228 (p. 128, 5). Brisson. de formul. IV, 5. Lindenbrog. ad Amm. XXI, 5, 10. Mommsen l. l. II², 1 p. 253 init.

[1]) Lange (l. l. p. 36), cum componeret sacramenti formulam, quae imperatorum aetate fuisset in usu, etiam illa verba recepit. Sed Servius (ad Aen. VIII, 1), quem praeter Vegetium adfert testem, aperte reipublicae liberae respicit tempora. Itaque stipendiorum quoque completorum mentionem vellem procul habuisset. Rectius R. H. S(chele) in Hygini edit. p. 179 fin. ex prisco aliquo scriptore hausta esse Vegetii verba suspicatus est.

[2]) cf. Lucan. I, 373 sqq. Tac. ann. XIV, 11. Suet. Galb. 16. Vitell. 15.

[3]) Fortasse illa sacramenti mutatio ab Augusto facta est. cf. Dio LVII, 3, 2 τοῖς ὅρκοις τοῖς ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου καταδειχθεῖσιν. Cur Mommsen dicat (l. l. II², 2 p. 768 not. 2) non potuisse eam nisi ad levia ('Nebensächliches') pertinere mihi non liquet. Sane quae quovis sacramento contineantur necesse est mutari non poterant. Illa vero mutatio non levis est nec parvi aestimanda.

[4]) Röm. Kriegsalterthümer (Halis 1782) § 162 (p. 137).

[5]) Mém. de l'acad. des inscr. et belles lettres XXIX (1764) p. 409.

in sententia, Vegetii ordinationem Hygino esse posteriorem, omnes sunt recentiores [1]). Quin etiam Marquardt (p. 588) plane extremo saeculo tertio eam adsignat. Contra quos omnes haec mihi sunt dicenda. Quod praesens Vegetius adhibet tempus neutram facit in partem, cum supra viderimus eum praesenti tempore uti etiam in eis describendis rebus, quae tum esse non potuerunt. Accedit quod, postquam descriptionem ad finem perduxit, statim dicit 'antiqua ordinatione legionis exposita . . . principiorum nomina secundum praesentes matriculas indicabo'; stolidum quidem hominem fuisse Vegetium cognovimus, sed sui temporis rem antiquam adpellare opposito insuper praesenti tempore non tam stolidi quam vesani ac deliri esset. Teneo igitur ordinationem illam Vegetio vere antiquam esse. Nec video cur necesse sit Hygino posteriorem eam haberi. Sane si ea quae cap. 8 traduntur ad eam pertinerent, necessario esset Hygino sequioris aetatis, sed id quis demonstravit aut demonstrabit? Immo vereor ne non posterior Hygino esse possit. Hygini enim librum exeunti saeculo tertio adsignandum esse spero me demonstraturum [2]). Si vero ineunte demum saeculo quarto ordinatio Vegetii in usu esse coepisset, non videtur antiquam eam fuisse vocaturus. Omnino ego negandum mihi existumo legioni fuisse suum equitatum redditum, postquam tertio saeculo (medio?) fuit demptus, quod probare et ostendere me non posse nemo certe mirabitur [3]).

Priusquam accuratius de aetate quaeramus, videamus de numero. Cum Vespasianus et Titus bellum Judaeis inferrent, legiones instructae erant equitibus centenis vicenis [4]). Sed necesse est auctus sit aliquando is numerus, cum con-

[1]) Droysen mus. Rhen. vol. XXX p. 470. Gemoll Hermae vol. X p. 178.

[2]) Commentatio ea in museo Rhenano edetur.

[3]) Scribuntur quidem in 'notitia orientis' (p. 75 [8]), qualis ex Boeckingii curis prodiit, sub dispositione ducis Thebaidos esse 'equites promoti indigenae legionis tertiae Diocletianae Ambos'. Sed recte mihi videtur Seeck (p. 64, 30. 31) locum emendasse.

[4]) Joseph. bell. Jud. III, 6, 2.



stet equites legionarios fuisse centuriis adscriptos [1]). Etenim adparet centenos vicenos equites non potuisse distribui per sexagenas legionum centurias, videntur potius per turmas fuisse ordinati. Contra septingeni viceni seni equites optime dispertiebantur per centurias. Singulae enim accipiebant equites undenos [2]), qui numerus in peditibus secundum Vegetium (II, 13 p. 45, 16) efficiebat contubernium [3]). Duplus equitum numerus, bina contubernia, primae cohortis centuriis adiectus erat. Possunt igitur aliquando tot quot Vegetius dicit equites legionibus additi fuisse.

Iam de aetate erit agendum. — Eadem quae legionariorum erat praetorianorum equitum ordinatio. Nam turmarum praetorianarum mentio fit eodem tempore [4]) quo, id quod ex numero colligo, equites legionarii turmatim erant ordinati. Postea equites praetoriani centuriis erant adscripti [5]), et

---

1) Renier inscr. rom. de l'Alg. 4075. 'Cum legio nondum pia vindex adpelletur, titulus Severi aetatem superat' (Wilmanns ephem. epigr. I p. 86). cf. Veg. III, 8 (p. 83, 19) 'de singulis centuriis quaterni equites et quaterni pedites...'

2) Mitto quinas cohortium centurias Vegetii.

3) Ex Spart. Pesc. Nig. 10, 5 evinci nequit tum denos milites iustum effecisse contubernium.

4) Suet. Claud. 21. Tac. ann. XII, 56.

5) Plane non intellego Marquardtium qui singulis centuriis dicit iunctas fuisse singulas turmas (p. 462), et quo id probet titulum adfert ex quo adeo contrarium efficitur. Nunquam equites praetoriani (aut legionarii) praedicant se militare in turma decurionis alicuius, semper, si modo quid adferunt, adscribunt centuriam. Quae res vel sola docet non fuisse equitum turmas tunc. Si fuissent necesse erat scribi militare equites in turma alicuius, sicut scribitur in auxiliariis cohortibus equitatis, quae tot turmas quot centurias continebant. (C. I. L. III, 3256 EQ. IMAG. COH. I. BRIT. TVRM. MONTA). An forte putat Marquardt tertiam fere partem praetorianorum (et legionariorum) fuisse equites, sicut in auxiliariis cohortibus equitatis? Differunt toto caelo ab his cohortes praetoriae. Etenim in diplomatis militum cohortium equitatarum adpellantur equites et pedites [C. I. L. III dipl. XVI (p. 859), XVIII (p. 861)], cum praetoriarum cohortium (et legionum) milites simpliciter vocentur. [ibid. X (p. 853), XLVIII (p. 890), LII (p. 894 sq.), LIV (p. 897), LXII (ephem. epigr. II p.

postremo cum ex legionibus dempti essent equites, praetoriani equites a cohortibus erant separati, sicut ex Hygini fragmento efficitur. Itaque temeritatis crimen non incurram, si numerum equitum legionariorum auctum esse statuero ab eodem imperatore a quo mutata sit equitum praetorianorum ordinatio. Mutatae vero huius ordinationis primum adparet vestigium in titulo C. I. L. VI, 2375 b (col. 3 v. 30), in quo perscripti sunt milites qui militare coeperunt annis p. C. n. 119 et 120 [1]).

Terminos igitur intra quos mutationes illae factae sunt, habemus Vespasiani et Hadriani tempora, et cum certi nihil sciamus, ad ipsum eas referemus Hadrianum, utpote qui post Caesarem Octavianum labantem disciplinam incuria superiorum principum retinuerit' [2]) omnesque copias ita ordinarit, ut quae instituerat etiam Severi Alexandri tempore in usu essent [3]), cuiusque constitutiones Vegetius inter suos referat fontes [4]). — Addo alterum argumentum. Ab imperatore bellicoso facta esse illa mutatio non potest, quo-

---

464 sq.)] [LIX (ibid. p. 454 sq.)]. Praeterea nec praetorianorum nec legionariorum equitum invenitur decurio ullus inde ab Hadriano; nam C. I. L. II, 1681 decurio equitum legionariorum, si modo fuit, ante Claudium videtur fuisse. (cf. Huebner ad C. I. L. II, 2916). Occurrunt vero optiones equitum praetorianorum (C. I. L. VI, 100 'optio equ. coh. VIIII, pr. > Iuli', a. 157 p. C. n.); qui fortasse praefuere equitibus singularum centuriarum.

1) Titulus aliquot annis post a. 120 videtur positus esse, cum complures milites iam principales facti sint. cf. C. I. L. VI, 2379 a. b titulus plane similis, in quo plurimi principales perscripti sunt, inter quos evocati, optiones, signiferi al. Fortasse etiam equites quodammodo in principalium numero habebantur (cf. C. I. L. VI, 2977 'lectus in praetoria eques sive tabularius ann. V'), et nescio an inde explicetur, quod in diplomatis milites tantum nuncupantur. Cur in cohortibus equitatis res non potuerit esse eadam vel nomen docet.

2) Spart. Hadr. 10, 3. cf. Eutr. 8, 7. Arr. tact. 44.

3) Dio LXIX, 9, 4. cf. Aurel. Vict. epit. 14, 11.

4) I, 8; quamquam in altero libro (c. 3) ubi iterum quos compilaverit auctores recenset neque Augusti neque Hadriani constitutiones adfert.

niam magna ad bella gerenda opus est equitatu a peditibus separato et in sua corpora maiora coacto. Sed si id agitur, ut custodiantur et defendantur fines, necesse est singulis in stationibus coniuncti sint equites et pedites [1]). Et erat in eo res, cum Augustus rem militarem constitueret [2]), itaque in copiarum discriptione singulis legionibus addebantur sui equites. Postea si plures inserti sunt legionibus equites, mutatio ea referenda erit ad imperatorum, qui etiam magis Augusto tuendis potius quam propagandis finibus operam dederit. Quem facile suspicabimur esse Hadrianum, 'qui tenendae per orbem terrarum paci operam intenderit ita ut omnia trans Euphraten ac Tigrim relinqueret' [3]).

Cum post annum 240 equites legionarii non occurrant [4]), ordinationem eorum a Vegetio propositam ad saeculum alterum et priorem tertii partem censeo esse referendam.

Cui tempori num conveniat etiam peditum numerus a Vegetio adlatus parum mihi constat. Sena milia duceni pedites in legionibus esse consueverunt inde a Mario [5]), quem fere numerum etiam posteriores scriptores ut iustum ad-

---

[1]) Optime hac de re egit Marquardt p. 441.

[2]) cf. Mommsen das Militärsystem Caesars (hist. Ztschrft. XXXVIII (N. F. II) p. 14).

[3]) Spart. Hadr. 5, 1—4. cf. 10, 2. Eutr. l. l. Front. hist. p. 206 Nab. 'Hadrianus provincias manu Traiani captas omittere maluit quam exercitu retinere'. — Liceat mihi etiam de causa qua adductus Hadrianus voluerit inseri equites centuriis proponere coniecturam. Recte dicit Vegetius (II, 20) naturaliter solere equites a peditibus discrepare. Necesse est autem eo magis segregaverint se a peditibus equites, quo plures in singulis numeris erant. Cui rei ut caveret Hadrianus, cum equitum legionariorum (et praetorianorum) augeret numerum, iussit eos inseri centuriis ut propriis rectoribus carentes oboedirent centurionibus; nam optio, si quidem ut decanus praefuit equitibus, centurionis imperio subiectus erat.

[4]) C. I. L. III, 5942.

[5]) Paul. Festi p. 336. cf. Steinwender über die Stärke der röm. Legion und die Ursache ihres allmählichen Wachsens Gymn. Marienburgensis libellus a. 1877.

ferunt [1]); et ipse Vegetius Jovianorum atque Herculianorum legiones sena milia militum habuisse tradit. Duobus tamen testimoniis quae videntur certissima esse numerus ille non confirmatur. Legiones enim ex quibus Severus Alexander phalangem suam composuit quinum milium erant militum [2]), et Hygini legiones ad quina milia ducenos octogenos milites computantur. Sed hi scriptores qualis fuerit tunc res demonstrant, cum Vegetius ostendat qualis esse debeat. Potest igitur summam rem recte tradere, quamquam aliquid ficti inest numeris, de quo infra dicendum erit. Item quod in fine capitis scribit maiorem esse interdum numerum, si non tantum unam cohortem, sed etiam alias miliarias legio fuerit iussa suscipere, potest verum esse. Fuisse enim videntur in legione Thebaea duae cohortes miliariae, cum sex milia sexcentos milites habuerit [3]). Sui vero temporis usum inridet scriptor, quoniam tum legionum robur infractum erat [4]).

Misso in tempus capite 7 transeamus nunc ad caput 8, ubi de centuriis et centurionibus primae cohortis et totius legionis verba fiunt; quo ex capite 'quamvis praeterea non uno nomine obscuro' [5]) unum pro certo collegerunt viri docti, primam legionis cohortem divisam fuisse in decem centurias, reliquas in quinas; quam mutationem factam esse dicunt tempore Hygino sequiore. Sed si Hygini quod fertur fragmentum intra annos 284 et 312 scriptum est, probabile non est posterius tempus respexisse Vegetium. Nam postquam initio capitis septimi antiquam legionis ordinationem dixit se exposuisse, cui sui temporis opposuit usum, primis nostri capitis verbis de vetere consuetudine

---

[1]) Suid. s. v. λεγεών II p. 519 Bernh. Serv. ad Verg. A. VII, 274, qui tamen eodem tempore trecentos equites in legione fuisse dicit. Isid. orig. IX, 3, 46.

[2]) Lampr. Al. Sev. 50, 5.

[3]) Ruinart act. mart. (Veronae 1731) p. 241 fin.

[4]) Veg. II, 3. cf. Kuhn d. städt. u. bürgerl. Verf. d. röm. Reichs I p. 140. Marquardt p. 588.

[5]) Mommsen in C. I. L. III, 830 not.

infert mentionem, ut videatur ad antiquam velle redire legionis ordinationem, de qua supra locutus est, quaeque Hygino est superior. Minimi vero facerem hoc argumentum ad virorum doctorum opinonem refellendam, nisi omnia in hoc capite dissiderent atque discordarent, ut periculosum et temerarium sit vel in levissima re fidem habere Vegetio, si solus eam tradat.

Primum rationem ineamus. In cohorte prima sunt pedites mille centum quinque, quorum 'mille sunt gregarii, centum decani, quinque centuriones inferioris dignitatis, nam quinque ordinarii propter maiorem dignitatem in numero militum non computantur' [1]. Largiamur, quoniam aliter ratio non convenit, ordinarios non numerari inter cohortis milites; computemus numeros militum in hoc capite adlatos, CCCC+CC+CL+CL+C, efficiuntur mille milites, ut adpareat decanos prorsus esse neglectos. Cur neglecti sint causam non indagaveris; immo nullo pacto licebat omittere eos; ubique enim numero centuriarum militum numerus adicitur, incassum nisi accuratus et exactus est, praesertim cum decani sat multi fuerint, velut primo pilo quadraginta. Si alterum utrum numerum adposuisset scriptor, facilius ei condonaremus decanos neglectos; quam tamen veniam ipse repudiat, cum II, 14 centum decem pedites dicat ab uno centurione sub uno vexillo gubernari, et ut decanos cum gregariis comprehendit, sic sesquiplicarium et duplicarium eodem loco inter equites ordinarios numerat. Numeri igitur militum in nostro capite non conveniunt.

Tum centurionum numerus aliquantum habet difficultatis. Sunt enim in legione quinquaginta quinque, in cohorte prima decem, quorum quinque superioris dignitatis sunt, quos ordinarios vocari volt Vegetius, quinque inferioris dignitatis, qui centenarii adpellabantur; nam ex numero totius cohortis (MCV sunt milites) efficitur, ut decem illi non omnes fuerint inferioris gradus [2]. Quinque ei centenarii

[1]) Lange p. 88 init.
[2]) Lange p. 47 not. 3.

singulas regunt centurias. Imperiis igitur ordinariorum paruerint necesse est. Sed minime convenit centenariorum numerus ad centurias ordinariorum. Primum pilum enim, qui quattuor gubernabat centurias, quattuor praeesse oportebat centenariis, primum hastatum duobus, ut taceam de reliquis. Tum vero sex efficiuntur centenarii. Quocumque modo distribuere centenarios conatus eris nunquam ratio constabit.

Porro centurio primi pili promovetur ex primo principe. Quem principem maiorem quam primum hastatum obtinuisse gradum manifestum est, alioquin ex primo hastato promotus esset primipilus. Eundem necesse est ordinarium fuisse. Itaque rexisse eum milites aliquot, minus quadringentos plus ducentos, necessario concludendum est. Eum tamen primum principem frustra circumspicis. Contra qui commemoratur 'princeps secundus primae cohortis' is nullus est; 'princeps posterior' adpellandus erat. Idem cadit in hastatum secundum.

Miro modo v. 12 'item' particula adhibita est, nam ne eiusmodi quidem res duco praetermittendas. Primo pilo enim et primo hastato nihil commune est nisi quod uterque centurias ducit.

Deinde gravissimae est offensioni, quod centuria una dividitur, cum duobus ordinariis singulae centuriae semisses tribuuntur. Cum enim singulae centuriae singula quasi corpora efficerent, quibus suum cuique vexillum esset constitutum (II, 13), abhorret a probabilitate unam centuriam in duas divisam fuisse partes, quarum altera principem secundum, altera secundum hastatum sequeretur. Unde tandem duabus his partibus centuriae nomen veniebat? quando efficiebant centuriam?

Nec satis intellego quod Vegetius dicit 'ad quem (principem secundum) in legione prope omnia quae ordinanda sunt pertinent'. 'Arma enim omnium militum equi vestes annona disciplinae severitas exercitatio omnium militum ad praefectum legionis pertinent' (II, 9). Ne castrorum quidem



praefectus mediocribus causis occupatus est (II, 10). Fabrorum proprius iudex est praefectus fabrum (II, 11). Centuriones in sua quisque centuria omnia procurant (II, 14). 'Officium tribunorum est vel eorum qui exercitui praesunt milites in castris continere, ad exercitationem producere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensorum fraudem coercere .... valetudinarios inspicere' (Macer in dig. XLIX, 16, 12, 2). Iam credo paene omnia relincuntur, quae ad curam principis pertineant et ab eo ordinentur. — De eo quod principi secundo omnis ea cura adsignatur infra erit dicendum.

Triarium priorem mere ficticium esse iam pridem cognoverunt viri docti [1]). Mihi quoque persuasum est nunquam fuisse centurionem eo nomine vocatum. Nam cum constat eum non fuisse nec liberae reipublicae temporibus nec prima imperatorum aetate, tum minime est probabile tertio vel quarto p. C. n. saeculo revocatum esse vetustum vocabulum, quod iam Varroni minus illustre erat [2]), praesertim cum graduum nomina quae nova invenimus, primicerius senator ducenarius centenarius biarchus, longe diversae sint originis.

Quod sequitur enuntiatum 'quibus magnae utilitates ...' ita scriptum est, ut debeamus inde opinionem capere solis ordinariis fuisse magnos honores constitutos, quam opinionem falsam esse supersedeo demonstrare. Praestabant sane primi ordines reliquis dignitate. De decanis verba fiunt, quasi in una cohorte prima fuerint.

Ineptiae quibus caput scatet tot tantaeque sunt, ut nequiverint iam pridem non cognosci. Salmasius (l. l. p. 1334 sq.) totum fere cum 'volgo corruptissimum legi' existumaret librariis praecipue culpatis transformavit. Leniore medela locum sanabat Lange (l. l. p. 88), qui

---

[1]) Salmasius de re mil. (Graevii thes. X p. 1335). Lange p. 88 not. 5. Marquardt p. 362 not. 18.

[2]) Varr. d. l. L. V, 89.

primum 'in acie secunda' insertum esse putabat ab interpolatore, qui meminisset se legere a Vegetio hastatos in secunda acie poni. Quasi vero, cum alibi hastatos in secunda acie conlocet scriptor, idem non potuerit nostro quoque loco in eadem acie ponere hastatum. Et si 'in acie secunda' spurium esse concesserimus, nescio an necessario etiam 'in prima acie' falso insertum esse iudicaturi simus. Nam id quoque additamentum, quamquam non falsum, tamen plane supervacaneum est et molestum, cum primam cohortem semper in prima acie consistere dixerit Vegetius.

Tum Lange in editione qua utebatur legebat 'princeps ... primae cohortis' omisso illo 'secundus'. Qua de scriptura paucis videtur disserendum. 'Secundus' unius codicis Palatini auctoritate nititur, a reliquis abest. Palatinus vero non tam parvi faciendus est quam arbitrabatur Lang editor, utpote qui non raro solus servaverit scriptoris manum. Nostro loco fides ei additur inde, quod multo saepius in eo verbum omittitur, quam quod praeter reliquos additur — vitiis enim eisdemque sat gravibus ne Palatinus quidem caret. Praeterea ceteri codices qui alicuius sunt auctoritatis (A, M) hoc loco aperte mutilati sunt, in quibus non legatur neque 'homines regebat triarius prior centum' neque 'cohortis primae a quinque ordinariis'. Nec liquet mihi quis potuerit addere falsum illud 'secundus', contra cur omissum sit a sciolo aliquo librario facile est visu. Mihi igitur 'secundus' genuinum esse videtur. Et profecto omisso illo verbo nec loco ulla ex parte medemur et novae oboriuntur difficultates, quas ut submoveret frustra laboravit Lange.

Primum hastatum et principem locos mutasse inde probari ait, quod cum Vegetius dicat primipilum ex principe promoveri, principis dignitas maior esse debeat quam hastati primi. Cui argumento alterum addo de meo. Secundum Vegetium ad principem primae cohortis in legione prope omnia quae ordinanda sunt pertinent. Atqui si primus hastatus superiorem principe obtinebat gradum, ad eum potius pertinere illa oportebat, non ad principem inferioris

dignitatis, praesertim cum primus hastatus ne mediocribus quidem causis fuerit occupatus, certe nihil eiusmodi compertum habemus neque ex Vegetio neque aliunde. Tamen in Langei sententiam pedibus ire etiam tum dubitarem, si caput reliquis numeris sanius esset. Eicienda enim essent verba 'in acie secunda', spuria item iudicanda verba 'in prima acie'. Nec verba 'primus hastatus' et 'princeps' sola transmutanda essent, sed 'primus hastatus' et 'princeps . . . primae cohortis', quoniam 'primus hastatus primae cohortis' moleste dictum, 'princeps' mancum esset. Principem necessario sequeretur comma 'ad quem . . . pertinent'. Vide quam audax esset transpositio ea, cum 'autem' voculam et verba 'centuriam semis . . . gubernabat' suo loco manere oportoret. Itaque sive genuinum sive spurium iudicamus 'secundus', undique circumfunduntur nobis difficultates maximae.

Porro 'triarius prior' inquit Lange 'certe corruptum est, cum ipse primipilus ex reliquorum nominum analogia primus triarius prior appellandus fuerit vel primus pilus prior'. Scribi igitur iubet 'triarius posterior'. Quasi vero esse potuerit triarius posterior, cum non fuerit triarius prior et quidem hoc ipso nomine vocatus.

Idem vir doctus quomodo distribuendi essent centenarii primus enucleavit. Postquam ordinariorum restituit ordinem, primipilo adsignat centenarios tres, principi unum, duobus hastatis unum. Nempe primipilus et princeps, praeterquam quod universum imperium alter quattuor alter duarum centuriarum habebant, suam uterque centuriam ducebant — singulas enim centurias regebant centenarii. Quod quomodo potuerit fieri et usu ac lege sancitum esse non perspicio. Necesse enim erat ea centuria quam proprie regebat ordinarius non quidem interdum sed semper duceretur ab ordinarii vicario vel quo nomine eum nuncupare volueris. Usu igitur is homo eundem quem centenarii obtinebat gradum. Iam vero quam possumus animo fingere causam, cur duo ei centuriarum rectores non adpellati et facti sint centenarii? At felicior

fuisse videtur Lange, cum duobus hastatis centenarium largitus est unum. Bipartitam fecit centuriam Vegetius; apte Lange adiecit centurionem bipartitum. Nimirum is regebat eam centuriam, cuius altera pars primum altera secundum hastatum sequebatur.

Sed video me nimium concessisse Langeio, qui quinque centenarios in cohorte prima fuisse contendit. Statuit Vegetium in capite extremo ordinarios inter centuriones numerasse, quod videat quo iure statuat. Tribus locis ordinarii occurrunt II, 7. II, 15 (ubi tamen Gemoll l. l. p. 114 interpolatorem olfacit), nostro loco. Quibus ex locis non potest evinci Vegetium ordinarios in centurionum numero habuisse. Immo quicumque extremum nostrum caput accurate inspexerit opinione non praeiudicata, is pedibus non ire in contrariam sententiam non poterit. Cum enim Vegetius dicat 'erant etiam centuriones', 'erant decani', adparet hos opponi ordinariis; commata vero 'qui singulas centurias curabant, qui nunc centenarii nominantur', 'denis militibus praepositi, qui nunc caput contubernii vocantur' non adiecta esse, ut species quaedam significaretur, sed ut qui essent illi explicaretur. Tum II, 13 solos eos adpellatos volt Vegetius centuriones vel centenarios, qui singulas centurias curarint. Porro cum decem centurias tribuat cohorti primae et centuriones dicat rexisse singulas centurias, nonne quivis opinabitur decem fuisse eos centuriones vel centenarios? Mihi igitur constat decem centenarios adsignasse Vegetium cohorti primae, neque obficit quod hic numerus nullo pacto convenit ad mille centum quinque milites quos in prima cohorte fuisse tradit.

Unum quod omnibus erat offensioni probabile duxit is, cuius his in rebus facile summa est auctoritas, Mommsenum dico. Cum enim princeps minorem quam primus hastatus regeret numerum, conligebamus illius dignitatem minorem esse quam huius. Mommsen vero contraria est in sententia. '[Primi principis prioris] partes' inquit (C. I. L. III, 830) 'fuerunt maxime in rebus administrandis. Nam . . Vegetius

in capite quamvis praeterea non uno nomine obscuro, haec tamen scribit non ambigua et probabilia: 'princeps primae cohortis . . . ad quem in legione prope omnia quae ordinata sunt pertinent'[1]). Quocum iungendum est, quod paullo post[2]) Vegetius addit hastatum primum licet dignitate inferiorem principe[3]), tamen ducentis hominibus praefuisse, confirmatur enim ita principem magis versatum esse in rebus militaribus ordinandis quam in ipsa militum ductione'. Quae si recte disseruit Mommsen, meae disputationi aliquantum erit detrahendum. Sed sunt de quibus possis dubitare. Emendationi tacitae videtur studuisse vir doctissimus aut transposita a Langeio commata probasse. Initium quidem facile feceris capitis emendandi vel potius corrigendi, finem non item. Incredibile vero est, quod concoxit Mommsen centurias dimidiatas, concoxit totam centuriarum distributionem. Postremo quod dicit Mommsen eodem loco principem praetorii vel castrorum eundem esse quem primum principem legionis, plus fere quam dubium duco, certe multum abest ut demonstraverit. Tum demum sententia ea probabilis erit, cum ostenderit principem praetorii vel castrorum esse centurionem ordinarium. Princeps praetorii iam Traiani aetate occurrit (C. I. L. III, 2917), cui tempori opinor convenit centuriarum illa distributio, ut taceam de numero.

Evicisse iam mihi videor omnia in capite nostro dissidere inter se atque discordare neque emendationi locum esse ullum.

Ut facilius aestimare possimus ea quae secuntur (c. 9. 10) Wilmannsii factum est egregia industria ac sagacitate.

---

1) Qua editione usus sit vir doctus nescio. 'Ordinata' a nullo codice eorum quos Lang adhibuit agnoscitur; legebatur quidem in prioribus editionibus, correxerat vero iam Schwebelius. 'Secundus' utrum spurium iudicaverit Mommsen an fugerit eum in Langii editione id legi non liquet mihi.

2) In omnibus editionibus antea legitur, et id ipsum ad litem pertinet.

3) Vegetium noluisse hastatum inferioris esse dignitatis principe inde efficitur, quod primum pilum in prima, primum hastatum in secunda conlocat acie et tum demum principis inicit mentionem.

Nam si quid his in rebus potest vinci, Wilmanns mihi sane videtur probasse (Ephem. epigr. I p. 81—105) praefectum castrorum et praefectum legionis non fuisse tempore eodem; sed praefectos castrorum esse desiisse imperante fere Septimio Severo, tunc mutato nomine praefectos legionis eos esse adpellatos addita fortasse et aucta potestate. Idem notavit (p. 103) Vegetii errorem legionis praefecto comitivae primi ordinis dignitatem tribuentis.

Merito igitur miraberis diversa utrique munera adscribere Vegetium, cum fere eadem fuerint necesse sit. Sed facile artem eius cognosces, si munera illa contuleris cum eis quae Wilmanns composuit (p. 94). Distribuit enim ut homo aecus et doctus singula officia ita ut utrique daret quae maxime cadere videbantur in alterum utrum. Quae ad disciplinam, ad exercitia pertinebant, legionis praefectum curare voluit. Quae si recte disputata sunt, sequitur ut, nisi aliorum testimoniis comprobentur, diffidendum potius sit eis quae de castrorum praefecti muneribus docet, quamquam nolo plane pro fictis ea habere. Omnia enim cohaerent aliquo modo cum castris [1]). Valetudinariorum curam III, 2 (p. 67, 9) tribuit principiis tribunisque et ipsi comiti, et erat tribunorum valetudinarios inspicere [2]). Accedit quod ea quae in fine capitis leguntur 'is post longam probatamque militiam peritissimus omnium legebatur, ut recte doceret alios quod ipse cum laude fecisset' quamvis rectissima [3]) inepta sunt hoc loco. Nam quas res doceantur milites a praefecto castrorum prorsus ignoramus, nihil de his supra dictum est, nisi — id quod et ipsum sat aegre fit — castrorum positionem valli et fossae aestimationem huc

---

[1]) cf. Renier conseil de guerre tenu par Titus (mém. de l'inst. imp. acad. d. inscr. et belles lettres XXVI.) p. 303 'le nom seul du praefectus castrorum suffit pour nous faire connaître ses attributions: c'était une sorte de commandant de place'. Easdem cogitationes potest Vegetius animo volvisse.

[2]) Dig. XLIX, 16, 12 fin. cf. Marquardt p. 539.

[3]) cf. Marquardt p. 448. Tac. ann. I, 20.

volueris referre. Reliqua ad docendos milites haudquaquam pertinent. Contra si substituimus praefecti castrorum munera ea quae fuisse aliunde scimus vel ea quae praefecto legionis adsignat Vegetius (utraquae enim eadem sunt), suum explicatum habent illa verba. Probatur etiam hinc, quod supra dixi, Vegetium dispertivisse munera inter praefectos.

Mira etiam ea sunt quae in initio capitis 9 leguntur 'legati imperatoris ex consulibus ad exercitum mittebantur'. Qui fuerint hi legati ex Apolline quaerito. Et quid quaeso sibi volunt 'binae legiones' illae (p. 42, 11)?

Cap. 11 Vegetius agit de fabris, quos singulis legionibus fuisse volt. Ad antiqua tempora haec referri nequeunt, cum non tam legionibus quam exercitui essent fabri. Post Septimium Sevèrum fabros inter legiones distributos esse suspicatur Marquardt (p. 499), nescio quo fretus argumento. Certe legionis fabri primum quod sciam occurrunt in titulo C. I. L. III, 3566, qui titulus, cum 'protectorem Augusti nostri' exhibeat, saeculum tertium aetate non superat. — Num fabricae arcuariae recte legionibus adsignentur, non est mihi exploratum. Errasse vero puto Vegetium cum suos cunicularios legiones habuisse dicit; nam certe non tam saepe cuniculi fodiendi erant, ut propria cuniculariorum manus potuerit esse uni cuique legioni. Et aperte Ammianus XXIV, 4, 21 legionarios milites vocat eos, quibus 'cuniculorum erant fodinae mandatae'. Erant potius artifices qui fossam faciebant (Dig. L, 6, 7 [6]), ad quos fere etiam cuniculos fodiendos existumo pertinuisse, ut legionarii milites eis auctoribus ac magistris opus perficerent.

Cap. 15 transit Vegetius ad aciei descriptionem. Uberius eam enarravit Lange (p. 83), sed mihi operam videtur perdidisse. Eandem enim nostro loco putat describi aciem quam lib. III c. 14, et quae discrepare videantur facillime ex diverso consilio scriptoris, quod illis locis secutus sit, explicari. Sed nostro loco consilium suum non secutum esse eum inde efficitur, quod ab illo cap. 15 primum statim enuntiatum recedit, quo quomodo instruenda sit acies exem-

plo unius legionis declaratum iri dicatur, cum salvo illo consilio dicendum fuerit fore ut demonstretur quomodo instruenda sit legio in totius aciei ordinatione. Praeterea quod adiecit Lange Vegetium priore loco antiquam legionis ordinationem exponere, posteriore loco regulas aciei instruendae sui temporis ducibus commendare, falsus est. Nam quod posteriore loco dicit, id quam aptissime in cap. 15 quadrare ex primo enuntiato elucet ('qualiter instruenda sit acies — quod si usus exegerit transferri possit ad plures'). Iam vero quomodo omnes sex ordines lib. III c. 14 enumerati facillime in nostro capite eadem ratione sese excipientes reperiantur, quamvis Lange data opera adscripserit, plane mihi non liquet. Nam qui milites postea in tertia quarta quinta acie conlocantur, ei nostro loco ita enumerantur, ut unam tertiam videantur efficere aciem. Accedit quod si erant sex ordines etiam in legionis instructione, id mehercule in unius legionis describenda acie non magis erat neglegendum quam in totius exercitus depingenda acie. Falsum esse Langeium cum Hadriani aetate eam aciem in usu fuisse contenderit, non est cur moneamus eum qui quae infra dicentur leget. Propius a vero afuit Roesch (l. l. p. 127), qui aciem cum per manipulos instrui desineret inciperetque ordinari per cohortes putabat talem posse fuisse, qualem Vegetius proponit; rectissime dummodo ne tempori eam adsignaveris.

Nunc cum ipso horum capitum auctore res nobis erit. Tota aciei descriptio a summo libri alterius consilio recedit. Quodsi quis dicat primum tantum enuntiatum abhorrere ab argumento huius libri, cum reliqua eo contineantur, quoniam legionibus sua addita fuerint auxilia, meminerit velim ordinationem legionis expositurum esse Vegetium, ad quam profecto non pertinent auxilia. Cadunt haec potius in argumentum tertii libri qui classicum sonat. Praeterea legionis instructio lib. II c. 6 proposita et quadrat in libri argumentum neque ei ulla ex parte non satisfacit. Ea enim ordinatio sive adsunt armaturae tormenta

cet. sive non adsunt non mutatur. Si aliquid adiciendum erat, dici hoc loco oportebat ubi ponerentur carroballistae quae singulis centuriis additae erant, ubi onagri quos singulae habebant cohortes, quaeque teste Vegetio (II, 25) non solum castra defendebant, verum etiam in campo post aciem gravis armaturae conlocabantur. Sed quamvis necesse fuerit, nostro loco de legionis tormentis ne minimam quidem facit scriptor mentionem.

Haec sunt quae in universum reprehendas in Vegetii descriptione; singula multo graviora. Comma 'hoc est ordinarii ceterique principales' tam ineptum est, ut Gemoll (l. l. p. 114) a Vegetio id abiudicaverit. Tum dicit scriptor 'haec erat gravis armatura', quasi quinque reliquae cohortes non fuerint gravis armaturae. Deinde gravi armaturae et bina missilia et quinas plumbatas tribuit, cum brevi post plumbatas adsignet scutatis. Insequens enuntiatum 'prima acies . . . docetur instructa' spurium esse contendit idem Vegetii sospitator Gemoll (l. l. p. 114). Sed inconsultius egit vir acutissimus, cum sublata una difficultate alias et graviores paraverit. Exculcatores armaturae scutati sagittarii funditores tragularii opinor nullam effecere aciem, quoniam eiecto illo commate inter primam aciem et secundam fuere locati. Immo tenendum duco enuntiatum et ferendas ineptias. Nempe eidem ferentarii cet. et ante secundam aciem et post eam locum habuere, secundaque acies dupliciter armata fuit, quam et primae aciei et levis armaturae armis fuisse instructam adparet. Postremo ipsa militum nomina aliquam praebent difficultatem. Primum seiunguntur ferentarii a levi armatura, cum ex tribus locis [I, 20 (p. 22,22) II, 2 (p. 35, 9) II, 17 (p. 49,10)] eluceat ferentarios fuisse partem levis armaturae. Quod ferentarios dicit Vegetius exculcatores[1]) vocatos esse non convenit cum loco lib. III c. 14 (p. 97,10) 'boni iaculatores, quos antea ferentarios nominabant', neque cum eo quod II, 17 (p. 49, 9) ferentarios et exculcatores una enumerat.

[1]) cf. Vales. ad Amm. XXVII, 10,10.

Tum miscet funditores et fundibulatores [1]) scribendo 'funditores qui ad fundas vel fustibalos lapides iaciebant'.


Recte separat funditores et sagittarios a levi armatura[2]) II, 15 (p. 48, 7. 10 sq.) II, 17 (p. 49, 20). Medium vero inter utrumque locum inseruit enuntiatum (II, 17 p. 49, 9), in quo ferentarios armaturas exculcatores sagittarios funditores efficere levem armaturam dicit. Item I, 20 (p. 22, 22) II, 2 (p. 35, 10) funditores et sagittarios ut partem levis armaturae commemorat. II, 16 (p. 49, 2) antesignanos et signiferos pro eisdem videtur habuisse.

Cum supra haec capita a summo et libri alterius et huius partis (c. 4—18) consilio recedere demonstraverim, nunc conabor ostendere ne inter se quidem argumentis ea esse concinna. 'Qualiter instruenda sit acies' declaraturus est scriptor. Quod primae aciei arma describuntur fortasse potest tolerari, quia qua de causa gravis vocata fuerit ea armatura demonstratum it. Sed deflectit a recto cursu oratio enuntiato quod sequitur: 'prima acies principum, secunda hastatorum armis talibus docetur instructa... Secunda acies similiter armabatur'. Armorum non aciei ea est descriptio. Rursus a versu 10 (p. 48) neque acies neque arma describuntur, sed milites qui fuerint docetur: 'erant item sagittarii.. erant funditores qui... erant tragularii qui...' Si quis commata ea sola legerit, suspicetur necesse est ex militum indice aliquo ea esse desumpta, non ex aciei descriptione. Nam ubi conlocati fuerint illi ne verbo quidem adumbratur. Tum secunda acies quas habuerit cohortes narratur; 'post omnes autem acies triarii locabantur'. 'Post omnes' inquit 'acies'; nempe duae sunt, certe secundae aciei mentio statim praecedit. Adicitur etiam cui usui fuerint triarii, per se quidem non inepte. — Tria argumenta eaque diversa deteximus, accedit quartum quintum sextum si vis etiam

---

[1]) cf. III, 14 (p. 98, 1 sqq.).

[2]) cf. Goeler d. Kämpfe bei Dyrrhachium etc. p. 105. Caes. b. civ. III, 62. Joseph. bell. Jud. III, 6, 2.



septimum, omnia aliena summo scriptoris consilio, ut vix ab homine ea consarcinata esse credas. Quae de signiferis et centurionibus proferuntur ad vestimenta et insignia graduum pertinent; totum caput 7 pugnae descriptio tenet, postremo de cohortium insignibus mentio fit et de nominibus militum in aversis scutis perscriptis. Vide quanto opere rem non tenuerit scriptor, nam cum hoc loco centurionum insignia commemorari ineptum est, tum non ita multo antea (II, 13 p. 45, 11) eadem res eisdem fere verbis dicta est. Ibidem multo aptius poterant etiam ea adponi quae iam in initio capitis 18 leguntur. Nolo vero in ordinem digerere quae Vegetius commiscuit atque confudit.

Manifestum est iam spero Vegetio in ea parte quam modo tractavimus non posse haberi fidem; nam cum ea quae tradit inter se neutiquam consentiant, non possunt coniuncta ad unum tempus quodcumque est referri. Sed manca est tota disputatio, nisi non solum negando, verum etiam adfirmando ut ita dicam refutavero Vegetii commenta. Demonstrabo igitur pro virili parte quomodo illa sint conflata.

Vegetius cum, id quod supra ostendi, unum atque simplicem vellet proponere descriptionem ordinationis legionum antiquarum, diversa ne dicam contraria inveniebat tradita esse ab auctoribus quos exscripturus erat, cumque non intellegeret diversis ea fuisse temporibus, omnia licet diversissima quoad poterat arte et consilio dataque opera in unum congessit atque consarcinavit. Inde explicantur quae dicit in praefatione nostrae partis: 'Quae descriptio si obscurior aut impolitior videbitur, non mihi sed difficultati ipsius rei convenit imputari. Adtento itaque animo saepius relegenda sunt, ut memoria intellegentiaque valeant comprehendi'. Haec si tenes plurima quae primo obtutu suum explicatum non habent facile interpretaberis. Denuo igitur quaeso mecum perlustres capita modo tractata.

Haerebam supra in primo capitis 5 enuntiato dubius quid sibi vellet 'legio formatur'. Iam nullam habet difficultatem; referendum est enim ea ad tempora quibus

quotannis scribebantur novae legiones, quae tempora produnt 'binae legiones' et consules exercitus duces (c. 4), quorumque legionem Vegetius dixit se esse descripturum. Reliqua quae in eodem enuntiato leguntur imperatorum et exercitus perpetui redolent tempora.

Deinde mirabar cur eodem loco de sacramento ageretur, utpote quod minime pertineret ad legionis ordinationem. Sed pertinebat antiquitus ad legionis formationem, ut Vegetii causa hoc utar vocabulo. Nam *ἐπιτελεσθείσης τῆς καταγραφῆς* inquit Polybius VI, 21, 1 *ἀθροίσαντες τοὺς ἐπιλεγμένους οἱ προσήκοντες τῶν χιλιάρχων καθ' ἕκαστον στρατόπεδον*[1]) .. *ἐξορκίζουσιν*[2]). Iam videmus quid valeat 'nam' particula. Auctor igitur cui verbum 'legio formatur' debetur, cum de scribendis legionibus ageret, de sacramento quoque rettulerat suo iure. Quod cum videret Vegetius eandem rem et ipse sibi duxit tractandam, sed ut diligens homo et doctus quae deesse videbantur adiecit veterisque auctoris verba in capite posuit extremo. Id sibi volunt repetita 'iurant autem' verba, quibus hic antiqua illic recens subiungitur doctrina.

Eodem modo expediemus quod in capite 8 Vegetius primum pilum in prima primum hastatum in secunda acie suos utrumque milites duxisse dicit. Petita haec sunt ex eius aetatis usu, cum per hastatos principes triarios acies instruebatur; non quasi putem Vegetium legisse in auctoribus suis triarios in prima acie constitisse; sed hastatos ex more suo in secunda acie conlocat, et cum primum pilum sciret dignitate praestare hastato, in prima acie eum posuit. Cur tertiae aciei non habuerit mentionem haud facile dixeris. Fortasse oblitus est aut, id quod potius credam, propter difficultatem eam omisit. Principes enim semper primae aciei tribuit, cui quominus hic principem adscriberet impe-

---

1) Statim enim in singulas legiones lecti erant, Polyb. VI, 20, 3. 4.

2) cf. Gell. XVI, 4, 2.

diebatur ea maxime re, quod primus pilus eam iam obtinebat. Accedit quod ubique legionem per duas acies instrui dicit. Quin etiam 'item' vocula ex antiqua legionis ordinatione potest originem traxisse. Tum enim manipuli qui primam et secundam acies efficiebant eiusdem erant numeri. Quae si recte exposita sunt, nescio an etiam triarius prior unde ortus sit liceat cognoscere. Ut in capite 16 triarios post omnes acies, post legionem constitisse dicit, sic nostro loco triariis proprium constituit centurionem, qui necessario postremum locum ('post omnes acies') obtinet. Dubium est vero cur priorem eum nuncupaverit, praesertim cum in propatulo sit nescivisse eum interesse aliquid, utrum hastatum priorem an primum, posteriorem an secundum vocaret.

Qua re commotus sit, ut diversos militum numeros ab ordinariis quos adpellat rectos esse voluerit haud perspicio, fictam enim esse distributionem eam mihi quidem constat. Num forte ea quoque in re latet memoria legionis manipulatim ordinatae? Paene credo, si numeros inspicio; duplo enim maiorem militum numerum quam primus hastatus ducit centurio primi pili, et in vetere illa legione triariorum manipuli dimidio minores erant quam hastatorum (et principum). Necessario Vegetius adeo contrariam rationem proposuit, quia recta et vetus non conveniebat in novos centurionum gradus. Praeterea princeps secundus et secundus hastatus eisdem numeris praesunt, et olim hastatorum et principum manipuli pares erant numero.

Porro in capitis 9 initio consulum et binarum legionum mentio ea sapit tempora, quibus legiones binas in bellum educebant consules.

Postremo per totam aciei descriptionem temporum illam confusionem licet sentire. Et artificiosa est ea conglutinatio. In prima enim acie quinque cohortes priores principum conlocat, in secunda hastatorum quinque reliquas. Apte post milites legionarios triarii subsidere iubentur.

Legionis manipulatim ordinatae aetatem habes etiam in pugnae descriptione, ubi ne verbo quidem cohortium

movetur mentio, cum tres acies hastatorum principum triariorum statim in initio commemorentur. Et cum Vegetius dicat 'prima acies principum secunda hastatorum armis talibus docetur instructa . . . secunda acies similiter armabatur, in qua consistentes milites hastati vocabantur' et postea demum quae cohortes in secunda acie positae fuerint adferat, sequitur ut etiam armorum descriptio referenda sit ad manipulorum tempora. Is igitur auctor ad quem illa redeunt — fortasse Cato est — causam Vegetio adtulit declinandi a proposito, cum non solum qua in acie conlocarentur hastati principes triarii doceret, sed etiam quibus armis milites ei essent instructi ostenderet pugnaeque duceret quasi lineamenta. Ea omnia, quae ille fortasse suo iure adposuerat, transscribebat Vegetius incuriosus utrum caderent in suum argumentum necne. Sed tantum abest ut genuina et sincera ea reperiamus, ut ex armorum descriptione nihil possit tribui illi auctori utque adeo Vegetii tempora deprehendamus. Nam licet dicat h a b u i s s e gravem armaturam quinas plumbatas statim adicit 'quas primo impetu i a c i u n t' praesenti tempore usus. Et hic praesens tempus suam servasse etiam apud Vegetium significationem inde efficitur quod postea dicit 'scutati qui p l u m b a t i s gladiis et missibilibus accincti, s i c u t n u n c p r o p e o m n e s m i l i t e s v i d e n t u r a r m a t i'. Neque fas est succensere homini, quod triariis quoque adsignavit plumbatas, quandoquidem tum omnes milites eis erant instructi. Pugnae vero descriptioni non tam multa et nova intermixta sunt; unum comma 'ferentarii autem a r m a t u r a e e x c u l c a t o r e s sagittarii funditores, hoc est levis armatura' recentiorem originem prodit, et in hoc enuntiato perperam ut alibi sagittarii et funditores in levem armaturam adscribuntur, cum post decem versus recte seiungantur.

Sed non solum temporum discrimina sustulit, verum etiam legionum et auxiliorum ordinationem videtur confudisse. Certe una in re quin id commiserit nequit dubitari.

Dicit enim (c. 6) primam legionis cohortem adpellari cohortem miliariam, secundam adpellari cohortem quingenariam. Falsum id est, falsissimum. Erat quidem prima cohors miliaria reliquae quingenariae, sed ad nomen id minime pertinebat; auxiliarium potius cohortium id erat quarum nomine etiam numerus continebatur, velut 'cohors prima Breucorum miliaria equitata' (C. I. L. V, 6995). Cohortium quingenariarum numerus in titulis quidem non adscribitur, fortasse simili de causa atque qua factum est quod tribuni angusticlavii in titulis non reperiuntur; sed scriptores commemorant cohortes quingenarias, velut Spartianus 'cohortem quingenariam dedit'[1]. Legionis cohortes numeri ordine notantur: cohors prima, secunda cet.[2]. Quodsi hac in re legiones et auxilia commiscuisse Vegetium probavi, aliquanto maiore iure dubitare licet de numero decem centuriarum quas primae cohorti adsignat, qui numerus supra iam non tenuem suspicionem nobis inferebat, quoniam centuriarum inter ordinarios distributio vel propter centuriam bipartitam ementita sit necesse est; et extremo saeculo tertio omnes legionis cohortes senas habebant centurias. Etenim auxiliariae cohortes miliariae in denas divisae erant centurias[3], et ut transtulit nomen, ita ordinationem cohortium miliariarum auxiliarium potest Vegetius transmisisse in primas legionum cohortes. Haeret vero animo scrupulus, quia reliquas legionum cohortes quinas continuisse centurias dicit, cum auxiliariae cohortes quingenariae senas habuerint[4]. Et ea in re mirifice sibi constat, cum alibi ubi diversa miscuit soleat secum discrepare. Quinquaginta quinque enim carroballistas in legione fuisse auctor est (II, 25), qui numerus non quadrat

---

[1]) Spart. Hadr. 17,11 'quinquagenariam' certe corruptum est; recte Casaubonus 'quingenariam' scribi iussit. cf. Hyg. § 27.

[2]) C. I. L. III, 102. 2883. 3846. VII, 112. Ephem. epigr. II p. 287 (n. 327) p. 290 (n. 338). Hyg. § 3. 4.

[3]) Hyg. § 28.

[4]) ibid.

nisi in eam ordinationem quam proponit. Nihilo minus etiam ea ficta esse confido, nec magni debemus scriptori inducere, quod secum consentit ea in re, cum per quinarium numerum rationem inire ne Vegetio quidem potuerit esse admodum difficile, praesertim si numeros iam praeparatos invenerit.

Si vero commenticius est centuriarum numerus, sequitur ut ne militum quidem numerus (c. 6) genuinus sit, et nescio an vel per se falsarium prodat. In prima enim cohorte sunt milites MCV, quorum mille sunt gregarii, centum decani, quinque centuriones, reliquae cohortes habent milites DLV, quingenos ordinarios, quinquagenos decanos, quinos centuriones. Idem igitur quinorum centurionum numerus omnibus legionis est cohortibus. Item antea idem centurionum numerus (senorum) in omnibus legionariis cohortibus erat. Atqui si prima cohors decem, reliquae quinas habuissent centurias, duplus centurionum numerus in prima cohorte fuerit necesse est; quem d e c e m c e n t u r i o n u m (vel centenariorum) numerum, sicut supra effeci, re vera in capite 8 tribuit Vegetius cohorti primae; quin etiam secundum caput illud quinque 'ordinarii' et decem centuriones (centenarii) in cohorte prima fuerunt [1]), ut milites habuerit MCXV, nam quod Lange dicit quinque 'ordinarios' propter maiorem dignitatem in militum numero non computari satis me puto refutasse. Retinuit igitur falsarius rationem quae inter centurionum (vel centuriarum) numeros in singulis legionis cohortibus intercedebat, mutavit ipsum numerum.

Inde quod legionum et auxiliorum ordinationes confusae sunt, explicatur quod equitum legionariorum numerus non dividitur per quinarium numerum. In equitatis enim cohortibus equites centuriis non erant adscripti. Genuinum

---

[1]) Decem centenarii orginem ducunt ex cohortium auxilariarum ordinatione, quinque 'ordinarii' ex sex centurionibus primae cohortis (ex primis ordinibus).

igitur transtulit falsarius equitum numerum nescius in legionibus olim per centurias fuisse eos distributos. Nec poterat facile equitum cohortalium numerum transmittere in legiones, quoniam is multo maior erat, et si eum translaturus erat, imminueret oportebat peditum numerum, quoniam in auxiliariarum cohortium numero equites et pedites una computantur. Si vero, id quod probabilius est, peditatas tantum cohortes commiscuit cum legionariis, omnino tutus fuit ab equitum confusione. — Equitum legionariorum numeros non quadrat nisi in genuinam legionis ordinationem, secundum quam cohortes senas habebant centurias; itaque numerus ille etiam hac de causa veri speciem prae se fert, quod argumentum supra adlatis velim addas.

Fortasse etiam tertium mixturae genus potest cognosci[1]). Dicit Vegetius primum hastatum qui ducentis militibus praeesset, tunc vocatum esse ducenarium[2]) centuriones omnes centenarios; quae nomina erant in militia palatina. Fides eius ex parte imminuitur ideo, quia aperte ducenarium et centenarium a numero militum quos ducerent nomina habuisse volt. Qua in re errare eum inde efficitur, quod 'in matricula agentium in rebus fuerunt ducenarii XLVIII, centenarii CC, biarchi CCL, circitores CCC, equites CCCCL '[3]). Tum Ammianus uno loco (XVIII, 6, 21) centurionis facit mentionem, sed centurionem eum adpellat, non centenarium, neque quidquam ei loco inest, cur putemus Ammianum non proprio nomine quod tum in usu erat, sed vetusto atque abolito usum esse. — Simili ratione qua Vegetius Joannes Lydus confudit centuriones et centenarios. Hic enim homo

---

[1]) II, 21 Vegetius honorum cursus primipili et primiscrinii, qui in officio praefectorum praetorio erat, inter se confert.

[2]) De ducenariis tertii saeculi cf. Orelli 3444 'praef. leg. II Traianae fortis CC trib. chor. VII praetoriae XIIII urbanae III vigul'. C. I. L. III, 99 'Julio Juliano v. e. ducenar. praef. leg. I Parthicae Philippianae'.

[3]) C. I. L. V p. 1059.

promotorum, qui inter solos equites reperiuntur [1]) erantque vexillationum palatinarum [2]), tres adfert gradus (de mag. p. R. I, 48. III, 2) *δουκηναρίους κεντουρίωνας βιάρχους*, cum centenarios eos adpellare debuerit.

Antiqua centurionum nomina quarto saeculo prorsus abolita erant et adeo venerant in oblivionem, ut Ammianus, qui 'ut miles quondam a principatu Caesaris Nervae exorsus' composuit historias suas, draconarium potuerit vocare hastatum [3]). Quae res vel sola docet, quam imprudenter Marquardt (p. 586 sq.) legionis ordinationem a Vegetio propositam rettulerit ad quartum saeculum. Et cum ne tertio quidem adsignari possit, quoniam tum antiquam legionis ordinationem obtinuisse Hyginus docet, efficitur etiam hoc modo ut ementita sit.

Demonstrasse mihi iam videor non solum discordare inter se omnia in ea parte de qua nunc maxime egi, verum etiam quomodo conflata sit ea descriptio. Qua in disputatione nisi forte toto caelo a vero aberravi, sequitur ut Vegetii auctoritas prorsus sit nulla. Quod tamen nolo ita intellegi quasi putem nihil veri et sinceri inesse ei parti; nam cum iam significavi me equitum legionariorum numerum existumare recte adferri, tum nonnullae aliae res rectissime traduntur. Velut aquilae praefuisse primi pili centurionem (II, 8) ex Tac. hist. III, 22. Iuven. XIV, 197. Valer. Max. I, 6, 11 conligitur. Signiferos galeas ursinis pellibus tectas habuisse (II, 16) columna Traiani docet [4]); ut mili-

---

[1]) Boecking ad Not. dign. I p. 185.

[2]) Not. dign. Or. p. 18. Occ. p. 31.

[3]) Amm. XX, 4, 18 'Petulantium tunc hastatus abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur'. Minus recte Salmasius 'draconarius' ducebat corruptum. cf. XVI, 10, 7 'dracones hastarum... summitatibus illigati'. XVI, 12, 39 'purpureum signum draconis, summitati hastae longioris aptatum'. Observavit id iam Valesius (ad Amm. XVI, 12, 20).

[4]) cf. lapis musei regii Bonn. 98 (Lindenschmit d. Alterth. u. heidn. Vorzt. I, 11, 6, 1). Antesignanis quid faciam nescio. cf. Froehner la colonne Trajane p. 101 'les gardes-du-corps se distinguent

tes sua centurionumque nomina perscriberent in scutis (II, 18) Domitiani tempore institutum esse Dio (LXVII, 10, 1) auctor est; item recte dicit Vegetius (II, 18) in scutis diversorum numerorum militarium diversa signa esse picta [1]. Sed hoc dico, si quid ab uno Vegetio tradatur neque alius eiusdem rei iuratus exstet testis, fidem scriptori esse denegandam. Quam arte interdum coniuncta sint vera et falsa ex eo loco intellegimus ubi de digmatis agitur (II, 18). Vegetium si sequimur incidamus oportet in hanc opinionem, etiam eiusdem legionis cohortibus diversa fuisse digmata, quam opinionem futilem esse et Claudiani versus modo adlatus et Notitia dignitatum quavis pagina ostendit.

Putaverit fortasse aliquis una in hac parte libri alterius tanto opere res ac tempora esse confusa, praesertim cum Vegetius in praefatione huius partis difficultatem ipsius rei excusans praesagiat illam confusionem. Verum ne simus tam creduli ipse scriptor monet, cum in *primi* libri capite 8 'nihil' inquit 'mihi auctoritatis adsumo, sed horum quos supra rettuli quae dispersa sunt *velut in ordinem epitomata conscribo*'. Accessit igitur ad totum opusculum conficiendum eo consilio, 'ut quae apud diversos historicos vel armorum disciplinam docentes dispersa et involuta celarentur', pro suo ingenio redigeret in ordinem. Iam vero cum in primo libro auctores sibi fore praedicet Catonem Celsum Frontinum Paternum constitutiones Augusti et Traiani et Hadriani, cumque auctores ei diversos rei militaris status descripserint, ubivis rerum temporumque confusio nobis est timenda.

Redeamus nunc ad capita quae supra missa fecimus, ut et falsa detegamus et vera vindicemus simulque magis stabiliamus sententiam nostram.

---

par la peau d'ours dont ils sont couverts'. Item bucinatorum galeae ursinis pellibus erant tectae: Froehner p. 73.

[1]) cf. Amm. XVI, 12, 6. Claud. d. bell. Gild. 428 'invicti *clipeoque* animosi *teste* Leones'. Leonis igitur imago in eorum scutis erat picta.

Primum videamus de capite 7[1]. 'Antiqua ordinatione legionis exposita' inquit Vegetius 'principiorum nomina ac dignitates secundum praesentes matriculas indicabo'. 'Praesentes matriculas' eas intellegendas esse quorum tunc usus erat inde efficitur, quod opponuntur antiquae legionis ordinationi. Sed in illis nihil nisi nomina principalium exstabant, unde ea haberent aliunde Vegetium petere necesse erat.

Inter milites principales primum adfert tribunos, qui unde nomen traxerint recte explicat[2]; de reliquis dubito. Id ipsum quod tribuni inter milites quamvis principales recensentur falsissimum est. Nam ut taceam Ammianum[3]) et sanos rerum scriptores, ne Vegetius quidem alibi tribunos non secernit a principalibus I,13 (p. 16,15) II, 19 (p. 52,9) III, 2 (p. 67, 9) III, 4 (p. 70,11. 71,10). Quamquam igitur 'praesentes matriculas' adfert, fidem eius ne hac quidem in re praesumemus. Scilicet primo, id quod etiam Lydus probat (de mag. p. R. I, 46), non solorum principalium catalogus erat. Tum duos tribunorum volt esse gradus, superiorem eorum qui per epistulam sacram imperatoris destinabantur, inferiorem eorum qui ex labore perveniebant. Fuit quidem id discrimen Vegetii tempore[4],

---

[1]) Dirksen der Rechtsgel. u. Taktiker Paternus (hinterl. Schrftn. ed. Sanio II) p. 428 cum ad Tarrutenium Paternum statuat redire Veg. II, 7—12, indicem cap. 7 ad iureconsultum videtur referre. Sed dubito ei adstipulari propter indicis naturam. Ceterum non plane intellego virum doctum; Lydi enim catalogum (de mag. p. R. I, 46) negat e Paterni libris manasse (p. 420), cum minime sit dubium quin uterque index ad eundum redeat auctorem. Ex reliquis capitibus possunt sane nonnulla esse Paterni, sed quae auctor vix ipse cogniturus nedum agniturus sit.

[2]) cf. Varr. d. l. L. V, 81.

[3]) XXV, 8,16 'cum tribunis principiisque militum'. XXII, 3,2 'principiis et tribunis'. In titulis etiam optiones seiunguntur a principalibus: Renier 131. 1407.

[4]) C. Th. VII, 20,13 a. 407. cf. Orelli 3161 (circ. a. 400 p. C. n.) 'post iuges excubias militiae tribuno militum'.

sed ad nomen non videtur pertinuisse gradus maioris aut minoris significatio.

A tribunis transit Vegetius ad ordinarios, de quibus prae ceteris ardua est quaestio. Sat multa de eis viri docti disseruerunt, sed ne specie quidem tenus proposuere probabilia. Acutissima coniectura si qui sensus Vegetii verbis posset elici periclitabatur Rueckert [1]), cuius verba haec sunt: 'die tribuni ordinarii (etatsmässige Majore) führten die Cohorten an; die tribuni Augustales und (später) Flaviales aber waren ihnen attachirt'. Item omni fundamento caret Masquelezii commentum (l. l. p. 74), qui ordinarios putat fuisse capita contuberniorum. Lange et Salmasius cum Vegetium secuti primae cohortis centuriones intellegerent aliquo saltem nitebantur fundamento, cumque de re non dubitarent, enucleare studebant unde ordinariorum nomen ortum esset. Etiam hac in re Lange Vegetii premebat vestigia. Dicit enim (p. 46) Augustales et Flaviales primis ordinibus additos fuisse, cumque illi extraordinarii fuerint, hos vocatos esse ordinarios. Augustales vero et Flaviales etiam postquam pro centurionibus haberi coepti sint, suam adpellationem retinuisse. Optare hoc quidem est, non probare. Nam quid opus erat primos ordines adpellari ordinarios (centuriones), si Augustales et Flaviales nunquam centurionum nomine vocabantur? Et qui centurio ordinarius est, num potest idem statim adpellari ordinarius simpliciter? Salmasius (p. 1334) cum animadvertisset primos ordines et centuriones interdum iuxta commemorari [2]) legeretque apud Ciceronem (in Pis. § 88) 'quid? centurionatus palam venditos? quid? per tuum servolum ordines adsignatos?' etiam hic putabat ordines opponi centurionibus, ut primi ordines essent. Et inde videbantur ei ordinarii nomen traxisse. Vereor tamen ut intellexerit Ciceronis verba.

---

1) Das röm. Kriegswesen Berol. 1850 p. 12 fin.

2) Front. strat. I, 11, 2. Renier 5, C, 2 'primi ordines et centuriones agiles'.

Nam non ita procedit oratio, ut ab infimis ordinibus transeatur ad primos, sed ita ut prius Pisoni obiciatur, quod centurionatus palam venierint, tum quod per eius servolum adsignati sint, cum ad imperatorem ea res pertineret[1]. In omnes potius centuriones ita cadit ordinum significatio, ut omnes vocandi fuerint ordinarii.

Revolvimur igitur ad scriptorem. Cum Augustales dicat ab Augusto ordinariis iunctos esse, sequitur ut ordinarios statuat fuisse Augusti aetate. Tum vero certissime ordinarii non fuerunt primae cohortis centuriones. Nam si fuissent, nonne iure miraremur apud Tacitum, qui primorum ordinum saepe habet mentionem, nusquam reperiri ordinarios? Verum multo firmius mihi est argumentum quo ut non solum primos ordines sed ne ullos quidem centuriones simpliciter vocatos esse ordinarios ita ordinarios demonstrem fuisse milites gregales. Isidorus enim haec tradit (orig. IX, 3, 33): 'ordinarius est qui per ordinem militat nec adhuc aliquem consecutus est gradum honoris'. Potest quidem dubitari cui tempori conveniat ea explicatio. Sed licet ad quamvis anticum referenda sit[2], Vopiscus in Bonosi vita prorsus eodem sensu ordinarii vocem adhibet (14, 2): 'militavit primum inter ordinarios, deinde inter equites, duxit ordines, tribunatus egit'. Itaque cum etiam initio quarti p. C. n. saeculi ordinarius sit pedes gregarius[3], Vegetius falsa profert, quoniam explicationem ex antiquiore hausit scriptore.

Quarti saeculi in titulis occurrit ordinarius non unus, velut Le Bas-Waddington III, 2053 *ὀαυτρνὸς ἒξ ὀρδιναρίῳ* (a. 350); ibid. 2412 K *Φλ.* *Μάξιμος ὠρδινάριος* (a. 356); Orelli 3391 'Florio Baudioni viro ducenario protectori

---

[1]) cf. Mommsen röm. Staatsr. I² p. 118 (not. 3) II², 1 p. 92. 561.

[2]) cf. Fest. p. 185 (Catonis quae exstant ed. Jordan p. 43). 'Quid mihi fieret, si non ego stipendia [in ordine] omnia ordinarius meruissem semper?'

[3]) Numquid eius significationis Veg. II, 15 (p. 47, 14) latet vestigium?

ex ordinario leg. II Ital. Divit.'[1]), sed qui fuerint illi mihi quidem non liquet. Suspicaberis fortasse propter 'protectorem ex ordinario' eos esse centuriones, ut neglegentiore sermone castrensi 'centurio' omissum sit. Vereor autem ut id fieri potuerit, cum 'centurio ordinarius' fuerit legitima adpellatio anno 298[2]), fortasse etiam anno 345. Waddington enim exhibet titulum hunc (1999): Ἀμβριλίου καὶ Ζήνωνος, υἱῶν τοῦ Καττίου τὸ μνῆμα, ἀμφοτέρων χχ. ὀρδιναρίων .. ἐν ἔτ(ε)ι σμ'. 'Les lettres XX' inquit 'sont certaines, mais elles ne sont pas faciles à expliquer. Il est probable qu'elles ont été gravées par un lapicide ignorant, aux lieux des lettres $\frac{X}{P}$, abréviation ordinaire du mot ἑκατόνταρχος'. — Ordinarii quos novimus erant cohortales, apparitores ordinariorum iudicum[3]). Quem fere honoris gradum obtinuerint ex lege 3 Cod. Theod. VIII, 15 cognoscitur, ubi quinto loco ponuntur post principem cornicularium commentariensem numerarium. Alium locum obtinent in Notitia dignitatum Orientis (p. 83), ubi tertio loco recensentur post principem de schola agentum in rebus cornicularium, ante commentariensem et numerarios. Occurrunt vero solorum in iudicum ordinariorum o f f i c i o[4]). Quae cum ita sint, vix duco credibile ordinarios simplici nomine vocatos esse et ordinariorum iudicum apparitores et primae cohortis legionariae centuriones. Nam ordinarii vox non inter ea est vocabula, quae ubique per se intelleguntur velut scriba commentariensis, quoniam proprie nomen adiectivum est. Fortasse cohortales illi adduxere Vegetium, ut in capite 8 solo ordinariorum nomine nuncuparet primae cohortis rectores.

Cui opinioni nescio an id faveat, quod Augustales in

---

[1]) Orelli et Mommsen (C. I. L. V, 8275) intellegunt centurionem, cum C. I. L. VI, 130 Mommsen ordinarium velit esse manipularem.

[2]) Ruinart l. l. p. 266.

[3]) C. Th. VIII, 4, 16.

[4]) *Gothofr.* ad C. Th. VIII, 4, 16.

capite 7 in militibus numerat. Augustales et Flaviales fuisse milites veri est dissimile, cum in tot militum titulis nusquam inveniantur. Nam quem titulum Orellianum (3534) Lange (p. 47 not. 1) adfert: 'A. Arrius Chrysanthus marmorarius Augustal. Puteol. dupliciar. > Petron.', ubi Augustalem intellegit militem, is titulus haudquaquam militem indicat [1]. Fuerunt vero Augustales in officio praefecti praetorio teste Lydo (l. l. II, 3. III, 10), qui Augustum tradit mutasse praefectum equitum in praefectum praetorio, et civili officio eum praefecisse, quos Augustales a se vocaverit. Iam meminerimus cohortalina officia cum ab initio officiales praefecti praetorio dicerentur, postea provinciarum rectorum officiales proprie vocatos esse [2]. Cohortales igitur fuere Augustales, item fuere cohortales ordinarii. Porro Lydus (III, 6. 9.) Augustales una cum cornicularīis commemorat; item locis supra adlatis ordinarii cum cornicularīis recensentur. Deinde Augustales adparuisse dicit Lydus (III, 16. 20) aliis cohortalibus, duobus qui erant commentariensibus, quocum mirifice consentit, quod Vegetius Augustales tradit iunctos fuisse aliis, quos sane discrepans ab illo ordinarios adpellat. — Sed proclives sunt hae res ad argutias et difficillimae ad tractandum secundum scriptores, quorum uter minoris sit fidei perversiorisque doctrinae dubites.

Quaeret aliquis 'quomodo videtur tibi factum esse ut Vegetius in incredibilem istam incideret confusionem?' Quod quaerenti priusquam respondeam, agendum videtur de scriptoris verbis. Sicut in Langii editione leguntur nullo in libro exstant manuscripto. Codex Palatinus (*Π*) exhibet 'primi quia primi sunt', quae verba absunt non solum a codicibus A M, sed etiam a V codice, qui plerumque cum *Π* consentit; ex quo evenit ut spuria mihi sicut Langio videantur illa verba, duplici orta interpolatione. Mea

[1]) cf. Petron. 65. 'Habinnas sevir est idemque lapidarius'.
[2]) Gothofr. in paratitl. ad C. Th. VIII, 4.

sententia anticus auctor et Vegetius scripserant 'qui in proelio ordines ducunt'. Cui vero voci ea explicatio adiecta erat? Etiam id docet ipse locus. Cum 'principalium' agmen ducant tribuni claudant infimi principales, quibus adiungatur munificum mentio, necesse erat in indice 'principiorum' recenseri etiam centuriones. Apud Vegetium tamen frustra eos quaeris, item frustra apud Lydum. Erat autem locus eorum continuo post tribunos. 'Ergo 'centuriones' pro 'ordinarii' exstabat in auctore antiquo?' Minime vero, nam etyma adferuntur verborum. 'An 'centuriones ordinarii [1])?' Potest id quidem exstitisse: tum fortasse >> notis centuriones fuerant designati, quae notae casu aliquo perierant. Sed minus placet mihi haec ratio, nam necesse est praeterea excidisse totum comma centurionis etymon continens. Erant vero centuriones ordinarii, centuriones exercitatores [2]), centuriones supernumerarii [3]). Itaque ab auctore primum existumo explicatum esse tribuni nomen tum centurionis deinde ordinarii ita ut subintellegendum et supplendum esset 'centurio ordinarius' (sicut p. 41, 2 'torquati' supplendum est). Quin etiam cum fuerint tribuni exercitatores [4]), possunt fuisse etiam ordinarii tribuni [5]), in quos explicatio illa a g r a m m a t i c o [6]) proposita nescio an quadret; ut in indice illo 'ordinarii' referendum fuerit et ad centuriones et ad tribunos. — Cen-

---

[1]) Capit. Clod. Alb. 11, 6. Ruinart l. l. p. 266. C. I. L. V, 8275. 942. cf. 7872 'optio ad ordine(m) > leg. XXII'.

[2]) C. I. L. III, 3470. VI, 226. 228. 2464.

[3]) Unum inveni C. I. L. V, 8278. cf. Renier 26 'centurio leg. III Aug. s t r a t o r l e g a t i'. Centuriones rerum nitentium (Amm. XVI, 6, 2) huc non pertinent.

[4]) C. I. L. VI, 224 (a. 197).

[5]) Non ignoro vetus discrimen tribunorum in actu positorum et tribunorum vacantium; sed discrimen quod ego dubitanter statuo ad solos tribunos in actu positos referendum est.

[6]) Grammaticum prodit adpositum 'in proelio', quo adiecto cavetur ne ordines intellegamus sensu castrensi, ex quo 'ordinem ducere' idem significat quod 'centurionem esse'.

turiones igitur ordinarios intellego sexagenos legionum centuriones et senos vel denos cohortium, qui centuriis praeerant, qui in proelio ordines ducebant. Ita augetur Marcelli[1]) crimen, quod cum centurio ordinarius militaret, reiecto cingulo coram signis abiectis armis et vite milites quibus bonam disciplinam praelucere debebat[2]) corruptae praeivit exemplo.

In exemplari quo utebatur Vegetius (et Lydus) iam non exstabat enuntiatum quo centurionis etymon exhibebatur. Itaque simplex ordinariorum nomen transscripsit, quos cum confunderet cum ordinariis cohortalibus, adiecit eis Augustales, Augustalibus deinde Flaviales.

In sequentibus breviter perstringendus est editorum et lexicographorum error, ne videatur Vegetius mutatum imaginiferorum tradere nomen. 'Imaginiferi' scribendum esse cum codice Palatino inde efficitur, quod 'imaginarii vel imaginiferi' V D codices praebent atque Lydus quoque scribit ἰμαγινιφέρης.

Quae deinde dicit Vegetius 'campigeni, hoc est antesignani cet.' fateor me prorsus non intellegere, quamquam viri docti nonnulla de hisce disputaverunt[3]).

Metatorum ut recte munus designat Vegetius, ita falsa profert de mensoribus, sicut iam pridem cognitum est[4]). Metatores castrorum qui certam artem profiterentur circa medium primum a. C. n. saeculum videntur esse instituti. Polybius enim (VI, 41, 1) tribunum dicit praecedere cum centurionibus eis qui semper huic operi deputentur, ut et

---

[1]) Ruinart l. l. p. 265 sq.

[2]) cf. Tac. Agr. 28.

[3]) Vales. ad Amm. XIX, 6, 12. Le Beau l. l. XXXV p. 250. Goeler d. Kämpfe b. D. cet. p. 116.

[4]) Lange ad Hygin. p. 155 'Discrimen (metatorum et mensorum) sine dubio ipsi Vegetio originem suam acceptam refert, qui nominibus diversis auditis rem quoque diversam esse putasse videtur'. cf. d. röm. Feldmesser ed. Blume, Lachmann, Rudorff II p. 321 not. 240 'die Unterscheidung des Vegetius ist zu speciell'.

castris locum eligant et loca in castris dimetiantur. Etiam Caesar (B. G. II, 17) exploratores centurionesque praemittebat, qui locum idoneum castris deligerent. Contra Cicero in Philippicis (XI § 12. XIV § 10) castrorum metatorem commemorat ut hominem certam artem professum. Nec mirum quod postquam exercitus perpetuus fieri coepit certi metatores sunt instituti[1]), cum iam Polybii tempore necesse haberetur propter difficultatem eosdem semper eligi centuriones castrorum metandorum. Una in castrorum metatione occurrunt metatores[2]), et cum proprie metatores non nisi ipsi gromatici professores eius artis potuerint adpellari, postea etiam gromatici adiutores artis alioquin imperiti eo nomine vocati sunt[3]), et hoc sensu apud Vegetium metatores sunt intellegendi.

Mensorum erat frumentum militibus dimetiri[4]), quam rem Vegetius utique tacet. Fuerunt quidem et alii mensores, sicut docet titulus C. I. L. VI, 3606 'mil. leg. I adiut(r). me(n)sor agrar(ius)'[5]). Sed ad perspiciendam Vegetii fidem id maxime facit, quod Lydus scribit *μήνσορες προμέτραι*[6]), ut videatur auctor anticus alium suppeditasse

---

[1]) Quod Frontinus (strat. II, 7, 12) eos qui Mario locum castris ceperant metatores adpellat, sui temporis usum ad Marii aetatem transtulit.

[2]) cf. Lucani comm. Bern. (I, 382) p. 29, 11 'metator dicitur qui mittitur ab imperatore ut castris vallum paret'; aliud scholion ad eundem versum 'metator castrorum positor vel prometitor'. Rudorff l. l. p. 322 not. 240 'sie (metatores) kommen nur beim Lagermessen vor'; aliter Mommsen ibid. p. 175 not. 32 'häufig aber heissen auch die Civilfeldmesser metatores'.

[3]) Front. l. l. Rudorff l. l. (not. 240).

[4]) Dig. XLIX, 16, 12, 2 'officium tribunorum est... frumentum probare, mensorum fraudem coercere'. Comm. Luc. l. l. 'mensores dicuntur et metiendo frumento qui mittuntur per provincias'.

[5]) cf. C. I. L. VI, 2754 'mil. coh. X pr. > Scipionis men(sor) lib(rator)'. Henzen 6821 'mensor frumenti'.

[6]) Videntur intellegendi esse *προμετρηταί*, cf. Hermann gr. Antiqu. I^{5} § 150, 9.

verbi explicatum, Vegetius pro tradito suum substituisse. Illud ipsum munus quod Vegetius mensoris esse dicit Lucani scholiasta metatori tribuit [1]. Praeter diversa nomina nostro loco 'praesentes matriculae' Vegetio fuere errori. Fuerunt enim mensores in palatio principis, quorum 'munus erat h o s p i t i a principi praeparare palatinis principem comitantibus s i n g u l i s d e p u t a t a s d o m u s e n o t a r e et postibus hospitaturi nomen adscribere' [2].

Bonam deprehendimus memoriam in enumeratione aeneatorum. Quo enim ordine Vegetius tubicines cornicines bucinatores adfert, eundem videmus in indice duplariorum legionis tertiae Augustae (Renier 90), cum turbatum praebeat Lydus.

De torquatis cum verba facit scriptor, vereor ne duas explicationes male consarcinaverit vel certe falsum lemma praeposuerit. Nam quod dicit 'torques aureus solidus virtutis praemium fuit, quem qui meruisset praeter laudem interdum duplas consequebatur annonas', manifestum est primo 'torquati' lemma praescriptum fuisse, sicut Lydus dicit *τορκουᾶτοι, στρεπτοφόροι, οἱ τοὺς μανιάκας φοροῦντες*. Praeterea recedit illa explicatio a reliquarum analogia et tempora adhibentur alia atque in toto capite. Meo iudicio primo scriptum erat fere hoc: 'torquati qui torquem gestant. Torques cet.' [3]) Priorem partem omisit Vegetius substituitque ex 'praesentibus matriculis' lemma novum et falsum: 'torquati duplares, torquati s i m p l a r e s' [4].

---

[1]) I, 382 'metator proprie est qui distribuit loca inter milites'.

[2]) Gothofr. ad C. Th. VI, 34. cf. VII, 8, 4. Fuerunt mensores etiam in officio magistri militum per Orientem (Not. dign. Or. p. 28. 'in nullius alterius magistratus officio mensores reperimus' Boeking p. 214), quorum quod fuerit munus nescio.

[3]) Enuntiatum eadem ratione formatum fuisse puto qua supra ubi de tesserariis verba fiunt.

[4]) Simplares omnes praebent codices; defenditur ea lectio armaturarum et candidatorum simplarium analogia, quos item ex praesentibus matriculis deprompsit Vegetius.

'Quem qui meruisset cet.' recte dici docet titulus C. I. L. II, 115 'hast. leg. II Aug. torq. aur. et an. dupl. ob virt. donato'[1]). Dubitat quidem Mommsen num titulus genuinus sit propter mirum eius consensum cum Vegetio et quia 'hastatus legionis' rarissime occurat; invenitur tamen 'hastatus legionis' velut Renier 4077, Henzen 6747.

Dixi supra recedere torquatorum explicationem a reliquarum analogia, qua de re nunc accuratius videtur disputandum. Totum caput qui perlegerit, eum non fugiet indicis auctorem exhibuisse se grammaticum, utpote qui ubique verborum etyma adferre studuerit. Quod cognoscimus in eis quae dicuntur de tribuno, de ordinariis, de aquiliferis, de imaginiferis, de optionibus, de signiferis, de tesserariis, de campigenis, de beneficiariis, de libraiis, de tubicinibus bucinatoribusque. Quod cornicinum etymon non invenimus librariorum culpa factum est. Nam cum reliquis numeris enuntiatum sit sanum, recte mihi videtur Oudendorpius restituisse 'aereo cornu'. Reliqua Vegetii culpa commissa sunt. De torquatis iam egimus, docet Lydus olim eam explicationem a reliquarum similitudine non abhorruisse. 'Metatores qui castra metantur'[2]) ideo non poterat scribere Vegetius, quia id munus mensoribus adsignaturus erat. Restant armaturae duplares simplaresque, quibus adiectivorum tantum explicatum adiunxit, et candidati duplares ac simplares, quibus nulla explicatio adiecta est. Nempe ex 'praesentibus matriculis' illa quoque desumpta sunt, cumque olim non essent, deerant explicationes a vetere auctore propositae.

Itaque etiam in 'principalium' indice temporum et rerum discrimina sublata a Vegetio reperimus.

Cap. 14 numerum equitum qui in singulis turmis militabant recte puto adferri a Vegetio nec magnas subiit

---

[1]) cf. C. I. L. III, 3844 'torquatus et (duplarius)'.

[2]) Lydus: μητάτορες χωρομέτραι.

mutationes is numerus [1]). Duae vero res habent offensionem; primum quod dicit eligendum esse decurionem, qui inter ceteras virtutes militares sagittas doctissime possit mittere. Adscitane sunt ea ex equitibus sagittariis? certe equites legionarii non fuere sagittis arcubusque instructi. Tum ad decurionem volt pertinere exercitationis tam hominum quam equorum curam, ut omnem videatur intellegere exercitationem. Qua in re ideo offendo, quia si vera est nescio quid centurionibus exercitatoribus [2]) faciam, quibus tamen necesse est partem exercitationis fuisse mandatam.

Cap. 12 Vegetius singulis legionis cohortibus praefuisse dicit tribunos aut praepositos; qui mos obtinuit ineunte saeculo quarto [3]). Minus constat de usu temporum quae quartum saeculum antecedunt. Lange (p. 89) nisus Ulpiani verbis (Dig. III, 2, 2) 'centurionem vel praefectum cohortis vel alae vel legionis vel tribunum sive cohortis sive legionis' ab Hadriani aetate singulas legionis cohortes suos habuisse rectores contendit, quod vereor ut ex illis verbis possit conligi. Marquardt (p. 360) ideo negat tribunos fuisse cohortium rectores, quia ad

---

[1]) (Polyb. VI, 25, 1. 2. Varr. d. l. L. V, 91). Centeni viceni equites quos Josephus legionibus tribuit videntur effecisse turmas quaternas. Alarum quingenariarum turmae senae denae tricenorum fere erant equitum. C. I. L. VI, 228 triginta duorum equitum nomina perscripta sunt, quorum duo ei qui postea decuriones facti sunt videntur fuisse duplicarius et sesquiplicarius. Decurionis nomen periit in initio. Alae miliariae viginti quattuor turmae quadragenos fere habebant equites.

[2]) Nisi equitum non fuere centuriones exercitatores. Innotuere mihi in equitibus praetorianis (C. I. L. VI, 2464), in equitibus speculatoribus praetorianis (Kellermann vig. 40 (?)), in equitibus singularibus (C. I. L. VI, 226. 228. 273), in equitibus legionariis (C. I. L. III, 3470. Orelli 3499). Maiorem eos decurionibus obtinuisse gradum ex titulo C. I. L. VI, 228 efficitur, quippe qui positus sit tribunis et centurionibus exercitatoribus adlatis a turma equitum singulariorum. cf. Henzen sugli equiti singulari Romae 1850 p. 43 sqq.

[3]) De mort. pers. 46. C. Th. VII, 12, 1 (a. 323) = C. Just. XII, 42, 1, ubi 'vel decurionum' omittitur.

tribunos legionis regimen pertinuerit; statuit igitur cohortes rectas esse a primis ordinibus etiam quarto p. C. n. saeculo[1].

Caesaris tempore tribuni magis partes legionum quam legiones totas videntur rexisse. Nam cum una Ciceronis legio anno 54 a. C. n. castra fortissime defendisset, Caesar 'Ciceronem pro eius merito legionemque conlaudavit, centuriones singillatim tribunosque militum adpellavit quorum egregiam fuisse virtutem testimonio Ciceronis cognoverat' (Caes. B. G. V. 52)[2]. Itaque partes tantum legionis duxerunt tribuni, quoniam legionis imperium penes Ciceronem erat. Imminutam esse quodammodo tribunorum dignitatem probat etiam id, quod Cotta Gades praesidii causa sex cohortes ex provincia misit, quibus complures tribuni praeerant (Caes. B. C. II, 18. 20), quod Caesar tribunum cum cohortibus et sagittariis praesidio Thabenam proficisci iussit (B. Afr. 77), quod P. Crassus adulescens, qui legioni septimae in hibernas deductae praeerat, praefectos tribunosque[3] militum complures in finitimas civitates frumenti causa dimisit (Caes. B. G. III, 7). Itaque non miraremur, si imperatorum aetate singulis legionis cohortibus praefuisse tribunos certo sciremus.

Et praefuisse legionariis cohortibus tribunos equidem puto. Nam cum omnes alias cohortes constet suos habuisse rectores, veri est simile ne legionarias quidem cohortes eis caruisse[4]. Augustum tradit Suetonius (c. 38) liberis senatorum militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedisse, ac ne quis expers

---

[1]) Adfert Amm. XVI, 12, 20. XIX, 6, 3; sed hunc scriptorem Marquardtio nemo minus intellexit. Priorem locum optime enarravit iam Valesius. Omnino Ammianus dubiae his in rebus est auctoritatis, cum saepissime vocabula antiqua novo sensu usurpaverit.

[2]) cf. IV, 23. VI, 7. B. Alex. 43. B. C. I, 71 'concurrebant legati centuriones tribunique militum. B. G. VII, 47. 52.

[3]) cf. Caes. B. C. I, 21 'tribunos militum et praefectos'.

[4]) cf. Tac. ann. I, 17 'cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum servorum oboedirent'. ann. I, 44. fin. IV, 73. hist. III, 19. IV, 31. 58. II, 31. ann. XV, 28 'tribuno ducere manipulos imperavit'.

castrorum esset, binos plerumque laticlavios praeposuisse singulis alis. Tribunatus igitur legionis minoris erat dignitatis quam praefectura alae, ut ad tribunos non potuerit pertinere regimen legionis. Cumque Augustus provideret ne quis expers castrorum esset, nisi mos iam antea erat, tunc certe institui oportebat ut legionis cohortes haberent suos rectores. Porro disciplinam regere tribunorum erat [1]), quam in universa legione praefectus castrorum vel legionis exigebat. Itaque necesse est tribunos consuluisse disciplinae in singulis cohortibus. Neque enim neglectae disciplinae culpa poterat imputari tribunis [2]), nisi suum quisque numerum regebant [3]).

Cum Vegetii verbis: '[primae cohorti] tribunus praeerat armorum scientia virtute corporis morum honestate praecipuus' licet fortasse conferre quae M. Antoninus scribit (Spart. Pesc. Nig. 4, 2): 'misi litteras .. quibus eum trecentis Armenicis et centum Sarmatis et mille nostris praeesse iussi. Tuum est ostendere hominem .. virtute venisse ad eum locum, quem .. Hadrianus, quem Traianus .. non nisi exploratissimis dabat'. Dolendum est quod quem numerum effecerint 'mille nostri' illi non liquet. Potest fuisse cohors prima deputata a legione [4]).

---

[1]) Tac. ann. I, 44. Lampr. Al. Sev. 54, 7. Spart. Pesc. Nig. 3, 10. 11. Spart. Hadr. 10, 3. Tert. de cor. mil. 1 'tribunus „cur" inquit„ tam diversus habitu" ?'

[2]) Lampr. l. l. tribunos eius legionis capitali adfecit supplicio, quod per neglegentiam illorum milites apud Daphnem luxuriati essent, vel certe per coniventiam seditionem fecisset exercitus'.

[3]) Miror equidem viros doctos, qui (velut Mommsen röm. Staatsr. I² p. 494) tribunos dicunt magis in rebus administrandis quam in militum ductione versatos esse. Ipsa illa officia quae Marquardt (p. 446) adfert mihi probant tribunos suis numeris praefuisse. Concedo vero adulescentes delicatulos saepe imperium non curasse, sed hi nec res administrabant neque omnino quidquam militare agebant praeter commeatum. Nihil aliud efficitur ex Taciti loco (Agr. 5), quem Mommsen adfert.

[4]) cf. Renier 5, B, ubi legatus legionem excusat quod absit cohors. Tac. hist. I, 64.

Cap. 13 de signis legionis agit Vegetius. Aquilam a Mario iterum consule proprie legionibus esse dicatam Plinius auctor est nat. hist. X, 5. Difficile disquiritur, num cohortes sua signa habuerint; quam quaestionem frustra temptatam novis coniecturis onerare supersedeo. Certe dracones prima imperatorum aetate non fuere. Primum quod sciam occurrit draconarius in epistula Aureliani (Vop. Aurel. 31, 7), in qua legimus aquiliferos legionis tertiae cum vexilliferis et draconario . . . Solis templum diripuisse[1]). Quarto saeculo frequens erat draconum in exercitu usus[2]). — Tum dicit antiquos cohortes in centurias divisisse et singulis centuriis singula vexilla constituisse. Errat vero, si viris doctis credis; contendunt enim cohortes divisas fuisse in manipulos et his propria fuisse signa. Ego tamen Vegetio potius fidem habeo.

Manipuli vocem, ut id prius expediam, ait significare contubernium. Contubernium autem vocatum esse manipulum ab eo, quod coniunctis manibus pariter dimicassent. In explicatione quidem consentit cum Varrone (d. l. L. VI, 85), reliqua ficta sunt. Certe non conveniunt antiquis temporibus; et quarto p. C. n. saeculo manipuli vox non habebat certam definitamque notionem, sicut ex Ammiano efficitur, qui undeciens ea utitur XIX, 1, 10. 7, 6. 6,9. XXV, 1, 16. XXXI, 13, 2. XVII, 13, 25. XXI, 13, 9. XXIII, 5, 15. XXVI, 2, 3. XXVII, 10, 10. XXXI, 7, 10. Vegetium censeo manipuli significationem pro suo arbitrio ad contubernium transtulisse. Fortasse legerat alicubi manipulos olim dictas esse exercitus minimas manus (Varr. d. l. L. V, 88).

Redeo ad cohortium divisionem. Marquardt (p. 335 not. 3. 359) etiam imperatorum aetate ait manipulos fuisse minima exercitus corpora quorum in instruenda acie habita

---

1) cf. Nemes. Cyn. 85. Treb. Poll. Gall. 8, 6 (?).

2) cf. Zosim. III, 19, 2. Amm. XVI, 10, 7. 12, 39. Henzen 6812.

sit ratio [1]) — manipulos eos dicit qui binas comprehenderint centurias. Posterioribus imperatorum temporibus quin iam non fuerint manipuli ei non dubitabit quicumque Hyginianam castrorum constitutionem contulerit cum Polybiana. Et in titulis nunquam legitur milites militasse in manipulis, ubique centuria adfertur. Ergo tum centuriae fuere minima exercitus corpora. Tac. ann. I, 34 adfert Marquardt quo probet sententiam suam; sed ne hunc quidem scriptorem intellexit. Nam cum dicat ann. I, 2 'ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque cuius manipularis erat, cohortem, legionem', quivis sponte cognoscit iam non fuisse manipulos in legione. 'At saepe Tacitus manipulorum habet mentionem'. Quid inde efficitur? antiquitus manipulus et centuria idem significabant [2]), nonne potest itidem res se habere apud Tacitum? Praetoriarum cohortium manipulos turmasque in ratibus adstitisse dicit ann. XII, 56, cum duobus aliis locis eodem modo centurias et turmas iuxta ponat: hist. I, 51 'ante bellum centurias [3]) tantum suas turmasque norant'; hist. III, 61 'suas centurias [4]) turmasque tradere certabant'. Porro cum dicat hist. I, 46 quartam partem manipuli sparsam fuisse per commeatus cet., dum mercedem centurioni solvissent, sequitur unum praefuisse manipulo centurionem. Centuriones vero suam quisque regebant centuriam (hist. II, 89).

---

[1]) Eadem in sententia est Streit die Heeres-Reorganisation des Augustus Berol. 1876 p. 18, et fortasse etiam Goeler Caes. gall. Kr. i. J. 51 p. 50 sqq. Marquardt p. 360 not. 2 'zu Ammians Zeit zerfiel die Cohorte noch immer in manipuli und centuriae und bestand noch das alte Verhältniss der Centurionen'. Longius a vero abesse profecto nihil potest. Cautius iudicat Lange p. 21.

[2]) Marquardt p. 334.

[3]) cf. Tac. Agr. 28 '[centurio ac milites] qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis cet'. Hoc loco si intellegeres Marquardtianos manipulos, plane superfluae iudicandae essent centuriae.

[4]) cf. Tac. ann. I, 30 'quosdam ipsi manipuli documentum fidei tradidere'.

Ergo Tacitus manipuli et centuriae voces eodem sensu adhibet[1]. Tunc igitur cohortes in centurias divisae erant.

Cave quaeras ex viris doctis cui usui putent fuisse manipulos binas comprehendentes centurias in cohortibus; neque enim respondebunt. Ex antiqua militia dicent id obtinuisse adferentque Cincium Alimentum (apud Gell. XVI, 4, 6) et Livium (XLII, 34), auctores gravissimos. Verum ego producam Polybium (VI, 24) testem iuratum[2] et vel uno hoc teste vincam nunquam fuisse manipulos illos, nunquam manipulum divisum fuisse in suas centurias duas ne in antiqua quidem militia. Nam si fuisset, non poterat Polybius verbis uti tam suspensis (§ 8) *τοῦ δεξιοῦ μέρους τῆς σπείρας . . . τῶν εὐωνύμων ἀνδρῶν τῆς σπείρας*. Praeterea si fuissent manipuli centuriae duae, haec erat causa cur bini centuriones manipulis legebantur, et Polybius (§ 7) proferret ineptam. Nec video quomodo potuerint adpellari centuriae. 'Centuria' inquit Varro d. l. L. V, 88 'qui sub uno centurione sunt, quorum iustus centenarius numerus'. Centuriae vero illae fictae nec sub singulis centurionibus erant, quoniam utriusque centurionis imperium ad totum pertinebat manipulum, neque centenis constabant ex militibus, quandoquidem in hastatis et principibus sexagenos, in triariis tricenos habuissent milites. Et quid fiet Varronis verbis (l. l.) 'manipulos exercitus minimas manus, quae unum secuntur signum'? Nonne necessario coniunctivus modus adhibendus erat, si etiam minores erant exercitus manus centuriae, sed quae non sequerentur singula vexilla? Verum legitime ne manipulum quidem ante Marium significabat centuria, cum omnino non esset sollemnis adpellatio. Ordo manipulus vexillum (*τάγμα σπεῖρα σημαία* Polyb. VI, 24, 5) erant legitima nomina minimae manus. Cuius rei

---

[1]) Lange p. 47 not. 6 apud Tacitum manipuli vocem in contubernii notionen abiisse putabat.

[2]) Polybii fidem nuper inlustravit H. Droysen comm. philol. in *hon. Th.* Mommseni p. 35--40.

facilis est explicatio. Romulus enim, ut Paternus auctor est (apud. Lyd. d. mag. I, 9), centenis militibus suos praeposuit duces centuriones, ut in legione essent centuriones triginta totidemque manipuli, qui rectissime adpellabantur centuriae. Postea vero, cum binos haberent rectores manipuli et alteri excederent alteri non aequarent centenarium numerum, non iam poterant vocari centuriae. Contra post Marium exercitus minima corpora, cum aucto legionis numero centenos haberent milites essentque suis sub centurionibus, verissime nuncupabantur centuriae.

Restat ut ad primum a. C. n. saeculum cum manipulis suis confugiant adversarii. Concedunt quidem centurias fuisse post Marium, sed cum cohors ex manipulis pluribus copulata fuerit, obtinuisse volunt manipulos. Quod quo probent vix adferent Varronem (l. l.) — perperam enim adferrent — opinionibus rem gerunt. Ne id quidem licet ex eis sciscitari, quo tandem vinculo coniunctae fuerint binae centuriae ut manipulos efficerent in cohortibus possentque uno nomine vocari. Comminiscitur Marquardt velut p. 334. 360 sq. centurionem priorem duxisse manipulum, posteriorem prioris imperio paruisse. An vero Polybii tempore centurio prior partem tantum dextram manipuli duxit, postea cum corpora maiora cohortium facta essent, in eis praefuit toti? Philosophi lucubrantis esset, non imperatoris rem militarem callentis maiores constituere numeros ex minoribus et maioribus his pauciores addere duces — tres enim centuriones priores secundum Marquardtium gubernavere cohortem. Crastinum evocatum qui superiore anno primum pilum duxerat, cum manipulares suos qui fuissent sequi se iussisset, centum viginti milites eiusdem centuriae sunt secuti [1]. Manipuli Marquardtiani si fuissent, Crastinus primipilus totum manipulum rexisset necesse esset; tum vero 'eiusdem centuriae' careret sensu.

---

[1]) Caes. B. C. III, 91. Non probatur mihi sententia Ruestowii Heerwesen u. Kriegf. Caes.[2] p. 30.

Nullo igitur vinculo continebantur binae centuriae, ergo non fuere manipuli illi. Centuriae in manipulorum locum successerant; centuriatim producti milites sacramento adiguntur (Caes. B. C. I, 76), cum Polybius per manipulos omnia ordinari tradat. Itaque etiam Caesar imperator recte centuriae et manipuli voces eodem usurpavit sensu [1]) (B. G. II, 25. VI, 34. 40. B. C. I, 76. II, 28).

Quae si recte exposita sunt, sequitur ut centuriis sua fuerint signa [2]). Perperam id infitias it Ruestow l. l. p. 15, qui cohortes, non cohortium partes existumat habuisse sua signa. Nam cum imperatorum aetate centuriae vigilum et praetorianorum propriis signis fuerint instructae [3]), maxime profecto veri est dissimile legionis centurias caruisse signis. Praeterea cum antiquitus exercitus minimae manus singula secutae fuerint signa, cumque postea eandem rem deprehendamus in cohortibus praetoriis quibus in ordinandis Augustus prioris temporis instituta imitatus esse videtur, tuto licet inde conligere primo a. C. n. saeculo eandem fuisse institutionem.

Recta igitur tradit Vegetius de partibus cohortium signisque centuriarum.

Venio nunc ad centuriarum rectores centuriones, ut qui fuerit ordo eorum post commutatam a Mario rem militarem indagem. Plurima hac de re disseruerunt viri docti, vetusque est lis primi ordines utrum intellegendi sint primae cohortis centuriones an decem pili priores. Huius quam posteriore loco adtuli sententiae acerrimus exstitit defensor

---

[1]) cf. Sall. Jug. 49, 2 'singulas turmas et manipulos circumiens monet atque obtestatur'; contra ibid. 91, 1 scribit 'cotidie pecus exercitui per centurias item turmas aequabiliter distribuerat'.

[2]) Ephem. epigr. II p. 278 n. 327. C. I. L. III, 6023. Sagacissime Streit l. l. p. 17 'der signifer centuriae' inquit 'trug abwechselnd mit dem der anderen Centurie des Manipels das signum des letzteren'.

[3]) C. I. L. VI, 1057. 1058. 2379. 2385.

Goeler (l. l. p. 50 sqq.), cui ex parte adstipulatur Marquardt (p. 359 sqq.). Recte quamquam parum feliciter Goelerum impugnavit Ruestow (l. l. p. 8 sqq.). Nuperrime qui ea de re egit Alb. Mueller (Philol. vol. XXXVIII (1878) p. 126—149), quamquam verae patrocinatur sententiae, tamen operam perdidisse iudicandus est ea imprimis re, quod mortuum conatur interficere ne huic quidem facinori par. Cum enim Goelerum deberet adoriri, litem intendit Marquardtio, qui partim illi adsentatus suam ipse refutavit opinionem. Et Goeleri non novit Mueller nisi eam sententiam quam auctor brevi post reliquit dixitque se errasse [1]).

Rem nobis liceat paucis absolvere collatis inter se Taciti et Arriani locis. Apud Tacitum (hist. II, 89) ante aquilas ingrediuntur 'praefecti castorum tribunique et primi centurionum'. Eandem rem Arrianus describit his verbis

---

[1]) Goeler (Caes. gall. Kr. i. J. 51 v. C. p. 50 sqq.) in legione statuit fuisse centuriones centum viginti, sexaginta centuriones qui proprie nuncupati sint, sexaginta subcenturiones qui tamen numerati sint in centurionibus. Sexageni subcenturiones ei generis auctorem habent unum subcenturionem Livianum (VIII, 8, 18); sed is toto caelo a Goelerianis discrepat. Ceterum argumenta non adtulit vir doctus; videtur secutus esse Mommsenum, qui olim (d. röm. Tribus p. 127 not. 121) existumabat Livium (X, 44, 3) manipulo adsignare centuriones quattuor. Marquardt fabulosos arbitratus Goeleri subcenturiones continuit se in centurionibus. Itaque cum Goeler duodenos statueret centurionum ordines, Marquardtio seni tantum placent. Octavi ordines (Caes. B. C. III, 53) credo fuere nulli. An opinatur vir doctus (p. 361 not. 2) octavum pilum priorem et octavorum et primorum fuisse ordinum, primosque ordines constitisse et in decem pilis prioribus et in primae cohortis centurionibus? Levius est quod primum pilum posteriorem decimo hastato priore minoris fuisse dignitatis significat. De octavis ordinibus illis Mueller (p. 134) memoriae mandanda duxit haec: 'nach Goeler-Marquardt hätte Scaeva eine der Nummern 8, 38, 18, 48, 28, 58 geführt, und unmöglich konnten diese Nummern unter der Bezeichnung octavi ordines zusammengefasst werden, Caesar hätte jedenfalls die von ihm bekleidete Stelle bestimmt namhaft machen müssen'. Quod posteriore loco dixit perversum est ut intellegi nullo modo possit, reliqua falsa sunt; cf. Goeler p. 51 sq. Marquardt p. 361 sq.

(ac. § 5 p. 100 Bl.): ἔπειτα τὸ σημεῖον τῆς . . φάλαγγος, καὶ ἀμφ' αὐτῷ δὲ . . . ὁ ὕπαρχος καὶ οἱ χιλιάρχαι οἷς τέτακται καὶ ἑκατοντάρχαι οἱ τῆς πρώτης σπείρας ἐπιστάται[1]). Unde efficitur ut primae cohortis centuriones summum obtinuerint gradum; hi igitur fuere primi ordines[2]). Sequitur ut octavi ordines fuerint octavae cohortis centuriones. Quocum optime consentit quod interdum centurionum gradus ita significantur, ut non tam quotum quam quota in cohorte ordinem ducant perscribatur, velut apud Waddingtonium 1955 'coh. V pr. post.'; 2643: 'nona pri. posteri.'[3]). Unde facile concluseris corpus quasi effecisse singularum cohortium centuriones.

Quae cum ita sint, sequitur ut necesse fuerit centurionem omnibus in cohorte sua centurionatibus functum esse, antequam in aliam cohortem traduceretur servato ordine, nam de promotione extraordinaria, quae ex imperatoris lubidine pendebat, hic non agimus.

Restat ut quaeramus qui fuerit centurionum in singulis cohortibus ordo. Qua in re scriptorum silentio puto aliquid dandum esse. Cum nusquam primipili prioris aut posterioris faciant mentionem — certe mihi non innotuit exemplum ullum — conligo primum pilum priorem et posteriorem dignitatis fuisse eiusdem. An eos qui primipili posteriores fuere putamus non esse primipilares? Nec poterat meo

---

[1]) Coniuncta opera C. Mueller et Hercher locum interpolarunt scribentes οἱ ἑκατοντάρχαι καὶ οἱ. . Alterum (καί) falsum est propter rem, alterum (οἱ) propter Arriani usum dicendi, cf. ac. § 9 p. 101 Bl. ἴλη ἡ Ἀλλακτική; tact. 44, 2 p. 97 Bl. ἐς χρεῖαν τὴν ἐπὶ τῷ ἔργῳ.

[2]) Qua excellit hac in re levi ratione dicit Marquardt (p. 360). 'die Frage ist, ob die zehn ersten Centurionen der Triarier oder die drei centuriones priores der ersten Cohorte gemeint sind'. De his ne cogitari quidem posse docet Tac. hist. III, 22.

[3]) Alia exempla adtulit Mueller p. 132. Semper legendum esse ut hoc adferam 'nona princeps posterior' haud statuerim cum Marquardtio (p. 361 not. 3) propter titulum C. I. L. V. 7004. VS. PILVS. PRIOR.

iudicio facile fieri ut scriberetur velut 'hastatus primus legionis' [1]), nisi fere nihil intererat, utrum prior an posterior intellegeretur. Quod si recte statuo, ea erat centurionum in cohortibus promotio, ut hastatus posterior fieret hastatus prior, tum deinceps princeps posterior, princeps prior, pilus posterior, pilus prior [2]).

Redeo ad Vegetium quaesiturus num opinio eius congruat cum eis quae supra effecimus. Primum quod dicit ex primo principe promoveri centurionem primi pili (II, 8), recte dicit. Pluribus de promotione disserit lib. II, 21, sed paullo obscurius, cum in utramque partem eius verba traxerint viri docti. Errori fuit eis, quod Vegetium de centurionum promotione agere putabant, cum de omnium militum promotione verba faciat [3]); quasi vero 'ad gradum quempiam promoveri' idem fuerit quod 'centurionem fieri' [4]).

Militum vero promotio quae fuerit recte videtur tradere Vegetius, quoad quidem ex duobus vigilum laterculis (C. I. L. VI, 1057. 1058.), quorum alterum quinque post alterum annis insculptum dedicatumque est, iudicium possum adsequi.

---

[1]) Caes. B. C. I, 46. C. I. L. III, 2836. 3846. II, 1681.

[2]) Hoc ex antiqua militia obtinuit. Ut enim rei publicae bini semper praesunt consules, sic manipuli binos habent rectores (cf. Mommsen röm. Staatsr. I[2] p. 46), quorum utriusque regimen ad totum manipulum pertinet. Sane si ambo adsunt dividunt imperium, quia ex re est (Polyb. VI, 24, 7. 8). Ergo etiam tum centuriones prior et posterior eundem fere obtinebant honoris gradum. Corruit igitur virorum doctorum opinio omnes hastatos posteriores fuisse infimi ordinis. Hic potius ordo erat: sexagensimo loco erat decimus hastatus posterior, undesexagensimo decimus hastatus prior, duodesexagensimo nonus hastatus posterior, cet.

[3]) Recte id animadvertit etiam Mueller p. 104 sq.

[4]) Goeler l. l. p. 54 illa ipsa verba interpretatur hoc modo: 'Wenn ein neu ernannter Officier als subcenturio in die Legion eintrat, so wurde er subcenturio des decimus hastatus posterior'.



Eorum enim qui principales sunt alii in utroque titulo inveniuntur, alii in posteriore tantum. Hi igitur, cum non sit veri simile tirones factos esse principales, ex aliis cohortibus translati fuerint in nostram necesse est. Item videre licet milites nonnullos prioris laterculi recurrere in altero laterculo et ad maiorem provectos gradum et in posteriorem translatos centuriam.



VITA.

Ioannes Guilelmus Foerster Rhenanus domo Wermelskirchen natus sum a. h. s. LIII a. d. XIV Kal. Mai. patre Carolo matre Alvina e gente Pfeiffer, quos ambo adhuc in vivis esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis domi imbutus gymnasium adii Fridericium Guilelmium Coloniense, quod Jaegero directore etiamnum floret. Ubi cum post annos quattuor semissem maturitatis testimonio munitus essem, autumnali anni LXXIII tempore studiorum causa Jenam me contuli simul stipendia meriturus. Eodem insequentis anni tempore Lipsiam adii ibique per annum commoratus hanc almam litterarum sedem petivi. Docuerunt me Gaedechens Nipperdey Ad. Schmidt Jenenses, Braune Brockhaus Curtius Eckstein Hirzel Lipsius Ritschl Stade Wuttke Ziller Lipsienses, Bergk Bernays Buecheler Heimsoeth Meyer Reifferscheid Schaefer Usener Bonnenses. Buecheleri et Useneri benevolentia in seminarium regium philologicum receptus sum, cuius per tria semestria sodalis fui ordinarius, per unum senior. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt Buecheler epigraphicis Oscis Umbricis, Meyer Aristoteleis paedagogicis. Bernaysii denique benignitate factum est ut bibliothecae regiae munus publicum mihi mandaretur.

Quibus viris omnibus gratias ago quas debeo maximas; praecipue vero Buecheleri et Useneri gratam memoriam pio semper animo recolam.



SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Non recte Carolus Lang in Vegetii editione capitum inscriptiones exstirpavit.
2. In recensendo Vegetio codices classis π' iusto minoris aestimati sunt a Langio. Neque enim archetypus huius classis Flavium Eutropium emendatorem passus est. VD codicum archetypus correctus est ad alteram (ε) classem.
3. Apud Vegetium Π codicis lectio restituenda est velut his locis: p. 9, 11 abducebat. 11, 16 inscribendus. 14, 20 consueverat. 16, 3 a campidoctoribus. 26, 10 celeriter et caute. 32, 17 indulgentia vestrae perennitatis. 33, 8 alae. 40, 1 imaginiferi. 45, 7 in ipso vexillo. 49, 1 sperari. 56, 4 sqq. quod . . . discunt . . . comitantur . . . existit. 89, 2 coluere. 92 ,11 deleverunt. 94, 1 anhelus. 94, 2 Haec. 94, 4 perdiderunt. 101, 12 cuneum vel. 111, 6 et suis. 112, 8 obvietur. 114, 3 nondum. 136, 15 qua. 137, 14 et in. 160,15 navigaturi sunt. — Praeterea scribi iubeo p. 24, 13 inulti. 52, 19 ab ipsis et contubernalibus. 78, 13 praecedere. 103, 7 Hinc. 159, 16 sciunt eatenus.
4. Hygin. d. mun. castr. § 2 restituo hoc modo: sed semistrigia non mutabimus. Rationes tensurae cuiusque generis subiecimus.
   ibid. § 47 scribo: ad numerum legionum.
5. Ammiani XXVI, 3, 1 legendum est: qui tum clarescebant. ibid. XXX, 9, 4 transposito commate scribo: militaris rei ordinum scrutantissimus et novorum inventor armorum.
6. XII paneg. Lat. (ed. Baehrens) scribendum videtur p. 118, 5 sudibus et clavis; p. 199, 23 extendi latius cornua.



7. Spart. Did. Jul. 4, 1 legendum est: vel fratrem vel filium vel parentem.
   Treb. Poll. tyr. trig. 26, 3 'loca' spurium est.
8. In Iuvenale post XI, 196 non recte lacuna statuitur.
9. Cic. d. imp. Cn. Pomp. § 18: nos publicanis amissis cet. perperam addubitatur.
10. Onasandri 29, 1 (p. 41 fin. Koechly) scribendum est: *ἐπαγέτω δὲ τὸ στράτευμα καὶ σὺν ἀλαλαγμῷ, ποτὲ δὲ καὶ σὺν κτύπῳ.*
11. Perperam statuitur *πάρος* apud Homerum (velut Θ 254) posse loci habere significationem.
12. Non recte La Roche dicit (Ztschrft. f. oestr. Gymn. XII, 351) in locutionibus *ὑπὸ πληγῇσιν ἱμάσθλης, ὕπνῳ ὕπο γλυκερῷ κοιμηθέντες, γήρᾳ ὕπο ἀρημένος* tal. apud Homerum *ὑπό* praepositionem amisisse suam loci significationem.

